

1a

14224

VIRTUTES

JUDICIS

C. 29 or 30

Sala 1^a

BIBLIOTECA

DE LA

Universidad de Salamanca,

Est. 40. Caj. 8. Núm. 15.



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

Cax. Or. 3.

1^a

14224


~~Num. A. 6. cap. 6. num. 33.~~



31

B14609642

Sala 1.^a



DE
VIRTUTIBVS
CHRISTIANI
IUDICIS, REIPUBLICÆQVE RECTORIS
MONITA

Ad ornatum Honestæ Vitæ, Prudentiæq; Senatoriæ Ethica,
ca, Iuridico-Politica.

S C R I P T O R E
FRANCISCO IOSEPHO
DE ANGELIS A SCAMNO.

O P V S C V L V M

Sanè Iudicibus, Rectoribus, Alijque Officialibus, & Magistratibus vtillissimum, Theoricis, ac Practicis periu cundum, Studiosisq; omnibus, ac Eruditis non insulsu m.

Adiecto Elencho Monitorum in Principio, ac Indice in fine Rerum Notabilium.



NEAP. Typis, & expensis Caroli Porfile Reg. Typogr. 1692.
Superiorum Facultate.





ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO

D. THOMÆ DE AFFELICTO

BARREÆ DVCI, &c.



QUOD de Virtutibus Opusculum, Excellentissime Domine, apparatus Græcorum, Latinorumque ornamentis refertum, in publicum iturum aspectum, Typisque mandandum, meus vita iam functus Pater elucubrauerat, tuo dignissimo ut voueret nomini, nunc ego superstes filius, emancipatus tibi æquè ut pater, eodem animi obsequio, quo ab ipso quondam obseruabar, meum, eiusque tibi penitus addictum animum ostendendi studio, atque suscepta olim Patris vora tuæ videlicet imbecillum hunc ipsius laborem dicandi dignitati, ut persoluam, ad tuæ Dominationis Sacrarium libentissimè pono, tibi que ad imperandum nato, in eius testimonium obseruantia, quam, dum vita manebat, in te habuit memorabile, toto animi sensu suo nomine consecro. Cui enim, nisi Tibi iam nulli secundo præ nobili Atauorum progenie, Virtutiq; omnis fulgore emicanti, Paterni operis Partus hic vouendus erat? Tibi, inquam, vouendus erat, qui ferrea hac annorum ætate

Iuſtra agens iuuenilia, Apollinis imitans Ideam, aurea reddis tempora. Tibi, inquam, vouendus erat, qui in nulla omnino virtute te prodidiſti degenerẽ à ter inclyto D. FERDINANDO DE AFFLICTO, tuo Parente meritiſſimo, meo, defunctique Genitoris mei Mœcenate, ac Domino; qui quidem quantis ſit exornatus virtutibus, in Te clariffimẽ elucet; qui cum ſic refers, vt cõmunem cum illo habere animam videaris. Prudentia ille Virtutum duce, viam ſui præmit Imperij; Res in Lance Oroſi librans, æquis auribus apertam audit, quam alij abhorrent, veritatem; ſurpe ab honeſto numquam non ſcernit, Vtile à Decoro. Non ſuum emolumentum ſectatur, ſed ſuorum, per benè ſciens ſe potiùs Subditis, quàm ſibi Subditos ſuos ſubijcere; nec ignorans, quòd Regens Ciuium eſt, quamvis Regentis ſit Ciuitas. Cuique tribuit, quod ſuum eſt; cauſas examinat, aures nulli denegat, ne Reis quidem, ne in-defenſi pereant Innocentes, dum inauditis Amore, & Timore gubernans, apis habens & aculeum, & mel: non cum timent ſubditi, ſed per eum; nec Iuſtitie gladium niſi in merentes, hoc eſt, iniuſtos intorquet. OMNIBVS VNVS; ſub eius Dominatu, Diues non patitur iniuſtitiam, nec Pauper opprobrium; Sicque genitus ex tanto Viro Patre, dum luſtra beas, concomitante Matre, Excellentiffima Domina D. FRANCISCA DE TOCCO, noſtræ ætatis ornamento, cuius præcipuas inter dotes alias excelfas, atque admirandas animi prærogatiuas, è ſanguine Regio traxiſſe Natales, eſt gloria minor; dum fulgẽs hæreditarij mores TANTI STEMMAſIS TVI, quas, non credam, Virtutes Egregio Cordi non inſtillaſſe Tuo? Quæ non morum, laudumque ſemina te cum lacte ſu-xiſſe? Eminens procul dubio mentis ornamentis, Supereminens Moralibus, ità eo ingenio foeliciſſimo ad omnia ſumma natus es: quod in paucis tui ordinis, nec vidit prior, nec audiet poſterior ætas. Quinimmo &, ſi ratio expendatur offerendi, multum utique habet officioſæ neceſſitatis, cùm lucubrationes hæſce iam gloriæ ſplendoris veſtri adſcriptas, defuncti Parentis famam Orantem, Phœnicis ad inſtar, præ tui tantum

no-

nõminis memorando tutamine, geſtorumque memorabilium immortalis, qua polles, dignitate, è frigido ſepulcri puluere, in æternam futuræ Poſteritatis memoriam redacturas rear; Si ſpectatur attamen argumentum operis, ſat commendationis habet, præoptantque verè ſcripta iſthæc ſub Sole Virtutum, Vmbram Patrocinij tui. Is nãmque tu es; qui Nobilitate, ex omni parte excelfa refulges, animi præſtantia, ac munificentia præclariffimus, adeò Attaliciſ conditionibus felix, gloriari vt poſſis, quòd ſi fama tuorum te illuſtrat, Tua illos non obſcurat, & quamvis floreat ad præſens in te primordia, ſenilem omnes admirantur prudentiam, adeò quòd concentu iam mirabili, dum quid Virile viuit, Egregia quidem explicante Indole, atque Genio, maſculatũ exarante Virtutem, ſpes non fallit, vnde de animi tui ornamentis videtur locutus Poeta.

. . . Sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt, & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Equidem præterquamquòd me totum tibi, Tuiſque debeo, quamobrem & tua, & Maiorum in me, & meum vitam functum Genitorem niſi exequantur nomina, nõ incongruum, vt quæuis occaſio profiteatur beneficia, amplius in hoc meo deuotionis tributo alia, & par eſt, quoniam habeo, dum expeto. Protectorem nouum, aliumque Mecenatem, atque Tutorem, nec non tantum gloriæ lumen adire pupillus liber hic gaudet, ſub Venerabili tuo nomine, dum proſectò recumbet, vndè fortunam, in obſequio, ſiſtam. Cætera Arpocrati voueo: nam maior eſt laudum tuarum, atque tuorum præſtantia, quàm vt poſſit à me, aut quopiam alio pro merito prædicari; & ſolùm Apellis eſt immenſam Gigantis Molem admirandæ artis Maieſtate in parua deſignare Tabella; ſed meum agnoſcendo animum certè deuotiſſimum, ex quo animo munus, paruum licet, accipe, cùm alacri animo parua recipere, reſque tutamine carentes circumſpectò fouere patrocinio, id Magnatibus videatur ſolemne. Auiculas (aiunt) cùm nil poſſent opu-

a 3

len-

lentius, plumas ad Delphici Apollinis Templū, sicut & Apes
vltro detulisse ceras; Et appensa vel Cœlites substinent do-
naria pauperum. Quod dedico quippe, atque dono, nil, aut
parum est, si quod debeam, aspicias, vel quod est debitum ex
merito tuo: sed pauperrimæ quod Genitoris mei permiserunt
Vires propriæ imbecillitati, nil magnificentius, nil vti que po-
tuit amantius. Offerentis ergo cor intuere, & pusillum hunc
tuere hebetis ingenij partum in meæ humillimæ obseruantia
argumentum sub Tutelæ, & Præsidij tui Siparijs, vt

. . . *Sicut Parnassia laurus*

Parua sub ingenti matris se subiicit umbra;

Ità lucem splendoris clari stemmatis tui aspiciens, intuensq;
Parentis fouenda Laurus, nuper præ atræ mortis pallore de-
nigrata, atque funebri Cyparissi nupta arbori, sub tui patro-
cinij Umbella delitescens, emicanti adolescat fama, æternum-
que fortiatur immortalitate nomen; & dum in Heroicis fulgo-
ribus, ornatam Virtutibus, ac gloriosum in hoc Terrarum Or-
be te feci, plenum annis fons omnis boni Deus (quem oro)
diu magis, magisque seruet incolumem. Datum Scamni die
23. mensis Aprilis; Anno à Serpentis capite effracto 1692.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus, & Addictissimus Seruus.

Ioſephus Antonius de Angelis.

IOSEPHVS ANTONIVS

DE ANGELIS V. I. D.

LECTORI BENEVOLO.

EXcepisti, Clarissime Lector, superioribus annis Parentis
mei, qui iam ex hac vita nuperrimè commigravit, pau-
perrimos aliquot Iuris, quos eius vita manente, in lucem
edidit, partus, prout imbecilles ingenij sui conatus tulerunt.
Ad præsens paruum istud de Virtutibus inuolucrum, quod etiam
illi erat prælo mittendum, suo nomine tibi amantissimo, cordis
affectu sisto, ac largior. Tu igitur munusculum hoc, qualecumque
appareat, in mei Parentis monumentum amantè accipe, cum
maximum sit mortis solatium, voluntas ultra mortem. Sique
aliquid fortasse probabile, aut profuturum offenderis in eo, Deum
collauda. Vale Lector, meque tui studiosum mutuo amore prose-
quere.



Emi-

VNIVERSIDAD
D SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

Eminentiss. e Reuerendiss. Sig.

IL Dottor Francesco Giuseppe de Angelis da Scanno supplicando espone à V. Em. come tiene da dar' alla stampa vna sua operetta, intitolata: *De Christiani Iudicis, Reipublicæque Rectoris virtutibus, Monita, Ethica, Politico-Iuridica*; supplica perciò V. Em. si serua commetterne la reuisione à chi meglio gli parerà, e l'hauerà à gratia, vt Deus.

Reu. Canonicus D. Nicolaus Cyrillus videat, & in scriptis referat
Dat. die 8. Iulij 1690.

Sebastianus Perissius Vic. Gener.

D. Eligius Caracciolus C. R.

Eminentiss. & Reuerendiss. Domine.

OPus hoc de Christiani Iudicis, Reipublicæque Rectoris virtutibus Monita ethica, politica, iuridica, inscriptam, miram Auctoris redolet pietatem, & quam maxima concinnatum est eruditione, nec Fidei Catholicæ, aut bonis moribus quid non consonum docet, ea propter posse imò debere in lucem, si E. V. videbitur, prodire. Dat. Neapoli die 14. Nou. 1690.

Can. Nicolaus Cyrillus

Visa retrospectiva relatione Imprimatur. Datum die 15. Nou. 1690.

Sebastianus Perissius Vic. Gener.

D. Eligius Caracciolus C. R.

Eccellentissimo Sig.

IL Dottor Francesco Giuseppe de Angelis della Terra di Scanno supplicando espone à V. E. come desidera dar' alle stampe vna sua fatiga intitolata *De Christiani Iudicis, Reipublicæque Rectoris virtutibus Monita Ethica, Politico Iuridica*, supplica per tanto V. E. si serua commetterne la reuisione à chi meglio gli parerà, acciò possa quello godere la
luce

luce desiderata sotto il suo felicissimo gouerno, e l'hauerà à gratia, vt Deus.

V. I. D. Ioannes Casimirus Morcone videat, & in scriptis referat.

Carrillo Reg. Soria Reg. Moles Reg. Iacca Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 5. Maij 1690.

Mastellonus

Spect. Reg. Gaeta, & Ill. Dux Campimellis non interfuerunt.

Excellentissime Domine.

OPusculum inscriptum de virtutibus Christiani Iudicis, Reipublicæque Rectoris, authore V. I. D. Francisco Iosepho de Angelis à Scanno, iussu Excellentiae Vestrae, diligenter euolui, ac illud inueni, nedù Regali Iurisdictioni nihil repugnare, verù omnigena eruditione refertum, vt res egregiè sit pertractata; Propterea censeo typis, quam citius dandum esse ad publicam vtilitatem, si ita Excellentiae Vestrae videbitur, quam per Nestoreos annos Deus seruet incolumem. Ex Museo nostro. Neapoli Kalendis Iunij 1690.

Ex. V.

Humiliss. ac Addictiss. Seruus

Io: Casimirus Morcone

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Regia Pragmatica.

Carrillo Reg. Soria Reg. Gaeta R. Moles R. Iacca Reg.

Ill. Dux Campimellis non interfuit.

Mastellonus
MO-

MONITORVM ELENCHVS.

- I.
Pietas necessaria simpliciter in
Iudice praesertim, ac Reipub-
blica Rectore.
- II.
Colendus non tantum Deus, sed ti-
mendus.
- III.
Auspice Deo, recte gubernatur Res-
publica, recte iudicatur: Politi-
ca, & Ratio status contra Deum
sunt agrotantium somnia.
- IV.
Virtute, literis, ac labore comparan-
dus honor, suntque fugienda patria
tectata, ut assequatur facilius.
- V.
Ex literis, doctrina, & usu acqui-
runtur Virtutes, erudiendus pro-
inde Iudicium animus, & Recto-
rum.
- VI.
Virtute potius, quam genitura ostē-
denda Nobilitas.
- VII.
Regiminis Moles prudenti disponen-
da consilio, Imperiumque sui, &
aliorum à prudentia accersendū.
- VIII.
Sine ope summa, & aeterna prudē-
tia nemo prudens esse potest, &
ideo felices euentus ex virtute, ac
vita probitate.
- IX.
Prudentis est haud fidere fortuna;
Populiq; fauori.
- X.
Non fidendum praesertim diuitijs
- XI.
Non indistincte, omnibus, & sem-
per, ac cunctis fidendum Ho-
minibus.
- XII.
Cautè credendum.
- XIII.
Nec propere consulendum, nec de-
liberandum.
- XIV.
Praesentia non tantum, sed prospe-
ctanda quoque, futura.
- XV.
Vigilantia praesidio munienda Res-
publica, somnique torpor discuti-
endus.
- XVI.
Secretum custodiendum, nec vultu
quidem prodenda Arcana.
- XVII.
Nullum sit adulantium obsequium,
praecipue seruorum.
- XVIII.
In negotijs Reipublicae se non immi-
sceant feminae, praesertim imperan-
do Iudicibus, vel Rectoribus.
- XIX.
Probrum, ac omnino nephas conuer-
sare cum malis.
- XX.
Propriae nimis non adhaerendum
sententiae.
- XXI.
Incongruum Iudicibus publicè di-
sputare, vel impronisse.
- XXII.
Lingua licentia iugiter coercenda
pauiribus.
- XXIII.

- XXIII.
Recte semper conscientiae, & ubiq;
parendum.
- XXIV.
Habenda praeculis conscientia, &
fama, conscientia propter Deum,
& fama propter Homines.
- XXV.
Vis offitium cohibenda in regēdo,
& iudicando.
- XXVI.
Non quod lubet, sed quod honestum
faciendum.
- XXVII.
Mens bona pudore fouenda.
- XXVIII.
Ciuiibus, & Populis vita velut exē-
plum obijcienda.
- XXIX.
Fas, & aequum tenendum ubique.
- XXX.
Amicitia, haud veritati praeponen-
da.
- XXXI.
Seruandae leges ab ipsis Iudicibus,
& Rectoribus.
- XXXII.
Quae pateant cohaerenda vitia.
- XXXIII.
Abstinentum à vanae gloriae studio.
- XXXIV.
Mens illustranda notitia sui.
- XXXV.
Euitanda penitus iactantia.
- XXXVI.
Fugienda ut Pestis Avaritia.
- XXXVII.
Castè, & cautè viuendum.
- XXXVIII.
Temperantiae oportet esse deuotum.
- XXXIX.
Cum Teperantia socienda Sobrietas.
- XXXX.
Mansuetudine temperandus ira
furor.
- XXXXI.
Nil agendum ex privata vindicta
cupiditate.
- XXXXII.
Sine ope non relinquenda miseria.
- XXXXIII.
Nil timendum dā recte agitur: Sola
Mors indecora metuenda.
- XXXXIV.
Animus morori non committen-
dus, nec pressura ulla vincendus.
- XXXXV.
A benè ceptis resiliere nephas, secus
è contra.
- XXXXVI.
Ob consulta malè respondentia, non
frangatur animus.
- XXXXVII.
Fausta, & eduersa aequa lance
libranda.
- XXXXVIII.
Suauitate fouenda obedientia, vn-
de sit morum grauitas, non su-
perbia.
- XXXXIX.
Iustitiae rigor clementia, & equi-
tate temporandus.
- L.
Impediendus est omnino authorita-
tis contemptus.
- LI.
Standum est verbis, ac indistincte
seruanda fides.
- LII.
In ore sit semper veritas, nisi quā-
do expediat, citra dolum compo-
nere in dissimulatione ingenii.
- Nau

LIII
Non de facili inducenda nouitates.

LIV.

Magnificè agendū simul, & honestè, & extrema cuncta vitanda.

LV.

Calumniæ haud timēda cum ad sit tutamen Innocentiæ.

LVI.

Censuræ vulgi ac malorum obiurgationi contemptu prouidendum.

Monitorum Finis.



DE

DE
VIRTUTIBVS

CHRISTIANI IUDICIS,

Reipublicæque Rectoris, ac Officialis iustitiam ministrantis.

MONITA

ETHICA, IURIDICO-POLITICA.

AUCTORE

Francisco Iosepho de Angelis à Scamno.

SUMMARIUM.

- 1 **I**udices, & Rectores debent esse virtutibus imbuti.
- 2 **V**irtus quid sit.
- 3 **S**ub virtute prius constituta fœlicitas, secus hodie.
- 4 **D**uæ animi partes, & duæ virtutis species.
- 5 **V**irtus undè dicta? explanatur.
- 6 **M**oralis virtus est circa qualitates animæ appetitiuæ.
- 7 **V**irtutes intellectuales quæ, & quæ morales?
- 8 **V**irtutes predictæ necessariae cunctæ Regentibus, & quare.
- 9 **V**irtutis effectus numerantur nonnulli.
- 10 **A**uctor quare tractat de virtutibus, refert.
- 11 **M**onita, quæ tradit, excerpfit è libris, dùm præfuit in Statibus Magni Comestabilis Columna.

A

12 Ap-

- 12 Appellatione Regis veniunt omnes ad Regendum subordinati.
- 13 Opusculum si doctis placeat, non curat Auctor, quod alijs displiceat.

EXORDIVM.

Ifficiales, Iudices, Reipublicæque Rectores, & alij quicumque Regentes, ac iustitiam ministrantes, ut possint proprium adimplere munus, debent utique virtutibus esse imbuti, ac moribus decorati.

Quemadmodum enim Sol non lucet modò, sed fouet, vegetat, animat; sic verus Populorù Rector in splendore suo iuuat, & commodat, *Lips. in libr. dissert. ad Princip.* Siquidem Vir bonus primum sui, atque inde Reipublicæ Rector efficitur, *D. Paul. ad Roman. 13.* debetque Iudex esse innocens, & integer actu, nam fide carebit, si bona vita deficiat, *Cirill. F. alg. in summ. crim. par. 1. rubr. 2. §. 2. num. 4.*

- 2 Virtus autem, ut ait *Plato*, est habitus optimus moralis animantis per se laudabilis. Proprium hominis bonum, *Tacit. 4. histor.* Hocque vnum contigit immortale mortali, *Senec. epist. 99.* nam omnia in se habet, omnia adsunt, quem penès est virtus, *Plaut. in Amph.* Sine virtute nemo verò honestus vnumquam erit, nihilque est virtute pulchrius, nil amabilius, *Lips. centur. 2. epist. 69.* Et in commentar. in *Plin. panegyri*, inquit, quòd

quòd non est foelix, qui in magna fortuna est, sed qui habetur, & ea dignus est ob virtutes.

- 3 Et quidem foelicitas hominis erat olim in benè agèdo constituta, *Aristotil. lib. 7. polit. cap. 7.* Vndè, virtutem posse sufficere ad foelicitatem, aiebat *Antistenes*; sed nos, qui Christiani sumus, non fatemur, sed benè concedimus, & dicimus, virtutes esse certissimum iter ad foelicitatem, dùm benè agere docemur ab illis; verùm non ibi foelicitatem, nec in nostris puris actionibus, & meritis, sed per ipsas virtutes, & bona opera, si Dei mandata sequamur, ab ipso solo Deo foelicitatem speramus, & ideò singulæ virtutes tantùm, velut viæ ad vitam æternam, non autem illæ, foelicitas, ac vita æterna, ut docet *Gregor. Nazianzen. in lib. de Paup. amand.*

- 4 Aduertendù tamen est, duas esse animi partes. Altera est nobis cum Deo communis, qua ratiocinamur, & intelligimus; Altera est nobis communis cum pecudibus, qua appetimus, & afficimur. Ità *Franc. Philelp. lib. 7. epist.* & docet *Aristotil. ethic. cap. 13.* Et *lib. 2. ad Nicomac. cap. 1.* Vndè duæ virtutum species: nempè Intellectualium, seù Rationalium, & Moralium.

Per intellectualem, seù rationalem, ratione inquiremus, quod nos, aut sequi, aut fugere oporteat, & hæc virtus est recta ratio, cui contrarium vitium, *Cicer. 4. quest. Accademic.*

- 5 Et quia viri efficacia in illa parte rationis viris viget, virtus à viro dicta videtur, *Cicer. lib. 2. quest. Tusculan.* Et robur animæ apud *Platon. dialog. 4. de iustit.*

4 *Francisci Iosephi de Angelis*
vt latius ex *Thesaur. Aristotel. lib. 14. c. 2. vers. virtus*
fol. 274.

6 Moralis verò virtus circà qualitates est animæ appetitiuæ, in qua etiam mores sunt: nam secundum *Plutharc. in lib. de virtut. moral.* nil aliud sunt mores, nisi qualitates animi rationi vacantis; virtus tamen moribus mixta non est, sed mores regit, & frenum illis imponit, ab omni materia remota.

7 Intellectuales virtutes sunt, Sapiencia, Scientia, Prudentia. Et morales Liberalitas, Iustitia, Temperantia, Fortitudo, Magnanimitas, & aliæ, quæ ad illas referuntur: veluti Pudor, Mansuetudo, Continentia, Fides, Religio, & Pietas.

8 Quæ quidem sunt vtique necessariae, præsertim In Reipublicæ Rectore, vel Iustitiam ministrante, etenim nil difficilius est, quàm alijs benè præesse, opusq; magnum, & arduum imperare, *Plat. epist. 7. Auerr. de reip. tract. 2. Tacit. 1. annal.* Eamq; inter omnes artes viuendi, ampliorem esse regendi, dixerunt *D. Thom lib. 2. de reg. Princip. c. 15. Gregor. Nazianz. in Apol. & D. Christof. in poster. epist. ad Corinth. ser. 15.* Et Sapientes existimant, valdè præclarum esse Urbem condere, multo præclariùs instituere conditam, at longè præclarissimum, institutam rectè gubernare, *Luc. Dur. lib. 1. de optim. Reip. gub. c. 1.* Et idè, vt scribit *Plat. lib. 4. de legib. no. 1.* dabimus Magistratum alicui, qui diues sit, aut huiusmodi quicquam possideat, aut roboris magnitudinem, vel generis claritatem; sed ei, qui positus legibus parebit maximè, & cæteris in Ciuitate præstabit;

Monita de Virt. Christ. Iudicis. 5

bit; dùm Magistratus gerere debent, qui bona extimatione sunt, vt inquit *Bouadill. lib. 1. politic. c. 3. num. 4. lit. B.* Nec sat est Senatorum ætatem annorum pondere grauescere, sed mente non ægrotare, in consilijs non desipere, in sapientia, prudentia, atque integritate non deficere. Hoc adscribendum Senatori decus, prout nec receptum videtur illud *Taciti* dogma, esse nempe sufficiens medium ingenium magis extrà vitia, quàm cum virtutibus, vt *histor. lib. 1.* Hoc *Claudianus Congruum in Stillicon. laud.*

Virtutes, quæ sparguntur in omnes
In te mixta fluant.

9 Siquidem non stat ipsa Respublica, si Senatus à virtutum præstantia desistat, ex quibus virtutibus omne bonum homini datur, dùm virtus sola tuta, & in sua potestate est, & omnia præter eam subiecta dominanti fortunæ, *Cornific. ad Heren.* & vt inquit *Salust. Catilin.* Virtuti omnia parent, ac emitur, virtute sola, potestas. Eapropter optimi ij, ac omni virtutum splendore fulgentissimi ad gubernandi munus, quod in Respublica est supremum, promouendi sunt viri. Qui mali sunt, non regnant, sed sæuiunt, *D. Augustin. lib. 5. de Ciuit. Dei.* Et Iudices, quorum vita non concordat cū loco Iudicij, sæpè dānant immeritos. *Viuius decis. 365. num. 13.* Et criminosi cum sententiam in alterius crimen proferant, seipso condempnant, *cap. Sacerdos, §. item 3. quest. 7.* Cum teste *Demostene,* subuersio Reipublicæ semper accidat, vbi vitij laboratum est. Vndè lex fuit Romanorum Magistratibus, vt refert *Tull. 3. de legib.*

Vitij

10 Postquam ergò tractavi de Officialibus, non incongruum nonnulla tangere de eorum vita, & moribus, & sic de virtutibus Christiani Iudicis, Reipublicæque Rectoris: nam officia, & dignitates non relevant, ubi bona vita deficit, & boni mores, & tamdiù quis Iudex dicitur, quamdiù iustus putatur, *Cassiodor. lib. 3. epist. 29.*

11 Ponam proindè monita, quæ è multis libris excerpti, propriæ imbecillitati, & mihi metipsi, ut prouiderem, cum contingisset, parua quidem doctrina duce, sed COMITE magna INSTABILI fortuna, uti Præfectum Generalem tanti benemeriti de me Principis Columna in Aprutinis Statibus, regere, ac ministrare Iustitiam per plures annos, ita quod non me tenet *Terent. in Adr.* dum inquit:

*Facile omnes cum valemus recta cõsilia egrotis damus,
Tu si hic sis, aliter sentias.*

12 Nec mirum si decantata per alios Regibus, indistinctè Regentibus tradi: nam appellatione Regis in materia regendi veniunt omnes ad regendum subordinati, *Vasquez contr. Illustr. in præfat. num. 167.* & refert *Capibl. in rubr. de Baron. nu. 79.*

13 Et si friuola mea non tanti erunt, ut cuiusquam iudicio probari mereantur; auream certè veterum, illustriumque virorum supellectilem, quam habet opusculum, improbauerit nemo, & si secus eueniat, iure, flocci pendeo, edoctus à Vate, dum canit:

*Curandum est semper placeas, doctisque, bonisque,
Sum-*

MONIT. I.

*Pietas necessaria simpliciter, & Religio in Christiano
Iudice, Reipublicæque Rectore.*

SVMMARIVM.

- 1 *Pietas prima pars virtutis.*
- 2 *Homo sine Religione viuere nequit.*
- 3 *Regentibus necessaria præcipue.*
- 4 *Deus Iustitiæ dator, & nonnulla de Dei potestate ex
Poetis.*
- 5 *Imperari non potest, nisi Deus reueretur.*
- 6 *Colendus Deus, & quare.*
- 7 *Macchiauellus refellitur.*
- 8 *Pietatis modus, in quibus consistat.*
- 9 *Cultus Dei qualis esse debet.*

C A P. I.

- 1 **P**ietas virtus est, imò prima virtutis pars, & est rectus in Deum sensus, rectus in Deum cultus, *Lips. 1. pol. c. 2.* Ideòque in hoc procelloso, & Mundi tam exposito mare in omnes tempestates, nisi Pietatis vllus est Portus, *Senec. lib. de constant. ad Polyb.*
- 2 Periculosum proinde, ac omninò nephas à vera Religione, ut discedat Iudex, vel Reipublicæ Rector,

nam



nàm sicut homo sine virtutibus viuere nequit vt homo, ita sine Religione, aut solo vitiorum alimento. Vndè aiebat *Plutharc. aduers. Colot.* faciliùs Urbem condi sine solo, quàm cultu Diuini Numinis sublato constare Ciuitates. Hæc enim fuit lex prima Naturæ, vt homo cultui Diuino esset obstrictus.

3 At licèt omnibus conueniat Religio, & Pietas; Re-
ctori tamen Reipublicæ, cunctisque Regentibus ma-
ximè videtur congrua, ex quo per Deum Reges re-
gnant, & legum conditores iusta decernunt, vt habe-
tur *Isai. 8. c. 15.* Veri enim, bonique fons est Deus,
S. Paulin. in epist. ad Auson. Et ipse quidem est

4 *Iustitiæ, Rectique dator, qui cuncta gubernat.*

Sill. Italic. lib. 6. de bell. punic.

Qui Populos, Urbesque regit, pacemque rogatam.

Tit. Calphurn. eglog. 4.

Qui gentes omnes, mariaque, & terram mouet.

Plaut. in Rudent.

Qui non mutatur in Æuo.

Manil. lib. 1. Astronom.

Qui res hominum, ac Deorum,

Qui mare, & terras, variisque Mundum

Temperat horis.

Orat. oda 12. lib. 1.

Qui cuncta suorum

Novit, & inspectis ambit latus omne Ministris.

Stat. lib. 5. syluar.

Qui perpetua Mundum ratione gubernat.

Boet. metro. 9.

Vnus

Vnus, qui cuncta ministrat.

Boet. ibid.

Vndè nil maius generatur ipso,

Nec viget quidquam simile, aut secundum.

Orat. loc. cit.

5 Nosse igitur ante omnia summum illud Numen,
quatenus sit homini datum, oportet, & vnum Regna-
torem omnium esse Deum; aliàs si Deus non reuere-
tur, non est cur ab eo, se imperaturos homines, spe-
rent, *Franchett. in seminar. politic.* ex quo vinculum
est Religio, & Pietas, quo adhæret omnis Respublica
Deo, & exoluti, qui regunt, à recto tramite semper
aberrant: *Nec quid ritè* (sunt verba Plinij) *nihilquè*
prudenter auspicantur Homines, sine consilio, & hono-
re Deorum immortalium, adeò quòd pro indubitato
traditur, omnia prospera euenire colentibus Deos,
aduersa spernentibus, *Liui. lib. 5. Histor.*

6 Præter quam quòd colendus est Deus, veluti sum-
mus omnium Pater, cuius amore vniuersa cohærent,
omnisque stat rerum in Orbe compago. *Colendus est*
(inquit *Agatho*) *quia Pater est iustissimus, fortissimus,*
temperatissimus, & sapientissimus. *Iustissimus,* quia le-
ges seruat, *Legislator Summus,* quia reclamandi præ-
cepta colit, *amat amantem, debita soluit amori.* *Fortis-*
simus, quia superari nequit, nescit vinci, scit, omnes,
amatoria beneficia vincere, & deuincere. *Temperatissi-*
mus deniquè, ac *Sapientissimus,* quia primum bonum
est, primum verum, & primum pulchrum, omnia auer-
tens mala, omnia creans bona. Vndè hoc docent DD.

B

om-



omnes, & præsertim *D. Thom. ibi: Honore quolibet, cum habeas dignitatem, honora eum, qui te hac dignatus est Deus. Cambis. ita monet Cyr. apud Xenoph. Dei esto amicus, nihilquè, nisi eo implorato aggrediaris. Etiam & annuit Comicus, Deum cole, & omnia facies rectè. Veritas enim est Diuinitus scripta: Quem non posse terrena regere, nisi prius nouerit Diuina tractare, D. Gregor. in Reg. lib. 6. dum Imperij firmamentum est Christus, D. Cirill. lib. 1. de ret. fid. & vox Diuina est in lib. Reg. Quicumque glorificabit me, glorificabo & eum.*

Hinc sanè putat *Aristotil. 7. Polit. c. 8. ut in omni Republica sit primum curatio rerum Diuinarum, quoniam iura Pietatis, & Religionis ea sunt, per quæ, alijs, qui præfunt, iusta decernunt; quare, ut Regentis est in omni virtute Populo præire, ita in Religione, maximè quæ Princeps est, ac caput virtutum, Lips. de vn. Relig. Et quidem decet, quòd optimum est ab optimo coli, & quòd imperat ab Imperante, Dionig. Stoic. apud Stob. Nec decet solùm, sed expedit, dum Dei proniores sunt in eos, qui illos maximè colunt, Aristotil. Retth. ad Alex.*

Verùm Religio, & veneratio nulla alia, nisi vnus Dei tenenda est, *Lactant. 1. instit. cap. 20. Deus, Deus est, in quo viuimus, mouemur, & sumus, ut habetur in Act. c. 17. Ille erit latere tuo (Salamon docet Rectorem c. 7.) & custodiet pedem tuum, nè capieris, cum Deus Pio Clypeus sit, & Rector. Vnde Lips. loc. cit. Sublimis factus, & elatus à Deo, veneratur,*

cur, ac meritò colit magnitudinis suæ Authorem; nisi faciat; quid aliud expectet, nisi iterum deijci? Extraneus est, quòd omnis Sapiencia hominis in hoc vno est, ut Deum cognoscat, & colat, *Lactant. loc. cit. c. 30. & proindè scitissimè scripsit S. Paulin. in epist. ad Auson. dicens:*


Quid enim tenere, vel bonum, aut verum queant,

Qui non tenent Summæ caput,

Veri, bonique fomitem, & fontem Deum?

Res est periculosissima, aliter sentire, & quidpiam in Deum committere, proculcataque æquitate quocumque modo in offensam incidere, *S. Cirill. loc. cit. lib. 1. Superiores longè magis exemplo, quàm culpa peccant, ut inquit Plat. & ex D. Gregor. & alijs dilucidè ostendit eruditus Nicol. Vinc. Scoppa de Reipubl. regim. §. 4. Ideòque hic solùm Deo consueta patientia, uti sua non sustinente, vbi multis perniciofa erit futura benignitas, Nazianzen. orat. 2. in Iulian. Propterea, ut testatur Iob. c. 2. Abducit Consiliarios in stultum finem, Iudices in stuporem, & baltheum Regum dissoluit, & præcingit funeres eorum: Quis enim tueri posset eum, qui à Deo oppugnatur? Bonorum, malorumquè nostrorum ipse obseruator est, ac custos; Proùt à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat, ut inquit Seneca.*

Omnimodo est igitur necessaria ergà Deum pietas, maximè in Iudicem, & Rectorem; exclamat enim & interna ratio, quòd se subijciat illi, à quo habet, ut sit, *Beat. Laurent. Iustinian. lib. de obed. Ideòq; certè tu-*



[12] *Francisci Iosephi de Angelis*
tum dogma illud Mœcenatis ad Augustum *ex Hali-*
carnass. lib. 5 2.

Deum ipse cole, & ut alij colant, effice.

7 Impius Atheista *Miacchianell. de Princip. lib. 1 8.*
simulatas, impia voce, desiderat virtutes, simulatam
& pietatem, quam vult sufficere in vultu. Sed absit.
Pietas fit magis in corde, quàm in ore; Factisque ma-
gis exercenda, quàm verbis, vt aduertit *Lips. centur. 1.*
epist. 8. Sine moribus pietas, quicquid vultu, voce, co-
lore proferas, vana est, & manca, *idem lib. 1. politic.*
cap. 6. Imò pietatis fictio non est pietas, sed geminatae
in pietatis veritas, teste *Bonom. in Chyron Achyllis.*

Hancq; perniciosissimam vocat tabem, *Tull. lib. 1.*
officior. finissimamque malitiam, Plat. de Republic.
lib. 2.

Et quidem magna profectò perfidia est, Euange-
lio non credere, cuius veritatem sanguis Martyrum
clamat, Apostolicæ voces resonant, Prodigia probant,
Mundus testatur, Elementa loquuntur, & Dæmones
ipsi confitentur. Sed longè maior insania, si de Euan-
gelij veritate non dubites, viuere tamen quasi de eius
falsitate non dubitares, *Mirand. in epist. ad Nepot. Vt*
Poma in Iudæa, non poma nascuntur, quæ contacta
in fumum abeunt, & vaporem, talis verbosa illa pie-
tas sine vitali operum succo, Lips. loc. cit. Siquidem
via expedita ad gloriam est, talis esse, qualis alteri vi-
deri voles, idem Lips. centur. 1. loc. supr. cit. Et ideò, fa-
cto magis, quàm specie, vt docet Salust. in Catillin.
Iureq; mores ama quisque pietatem amas, seridò, non
ad pompam,

Esse

Monita de Virt. Christ. Iudicis, Cap. 1. 13

Esse, quam videri probus, malis.

Et cum laudato illo Catone, de quo *Vellei. lib. 2.*

Nunquàm rectè feceris, vt fecisse videaris.

Et confert, quod habetur in *Ecclēsiast. 2. cap. 10.*
vbi vox Diuina est, quæ monet: *Veh' duplici corde,*
ex quo (vt habetur in *Prouerb. c. 13.*) In malitia sua
expletur Impius. De quo sapientèr edoctus *Bonom. loc.*
cit. perfidos huiusmodi, ac Hypochritas improbat,
ità dicens: *Quid agitis miseri? Odit vos Mundus, quos*
pios credat, odit vos Deus, quos impios sciat, atque ita
odiosis in neutro vobis præsidium est.

8 Pietatis autem modus in duobus consistit, in certi-
tudine scilicèt priorum dogmatum, & in bonis ope-
ribus; Neque dogmata sine bonis operibus accepta
sunt Deo, neque pijs absque dogmatibus, opera recta
suspicit Deus, vt docet *S. Cirill. Hyerosol. cath. 4. Vn-*
dè D. Paulinus:

Pietas abesse Christiano, quæ potest,

Argumentum mutuum est:

Pietatis esse Christianum, & Impij

Non esse Christi subditum.

9 Sit igitur Cultus Dei sanctissimus, optimus, atque
plenissimus vera pietate, itaut semper eum, pura, in-
corrupta, integra voce, & mente veneremur. Huic fi-
ni homo natus est, *Lips. 1. politic. c. 3.* Aureum hoc di-
ctum Iudici, Reipublicæque Reçtori imprimò. Opti-
mus animus pulcherrimus Dei est cultus. Qui dissi-
mulat, delinquit duplicitèr, in *Eccl. 23.* nec diù per-
mittitur retinere personam: nam simulatae res statim
ad

14 *Francisci Iosephi de Angelis*
 ad pristinum statum redeunt, *Sen. lib. 1. de clem. ad Ner-*
ron. Qui sub colore virtutis malum committit, dupli-
 cem meretur poenam, vt docet *S. Basilus.* Nisi moue-
 mur ad bonitatem virtutis amore, haud boni sumus,
Cicer. 1. de leg. & licet verum, quod scribit Plin. lib. 3.
epist. quod multi famam, conscientiam verò pauci verentur;
 vera tamen Virtus est, quæ respicit finem, nec
 aliud melius inuenitur bonum, vt sanctissimè docet
S. Augustin. lib. 5. de Ciuit. Dei. Vnusquisque cultu, &
 veneratione clarescit, vt inquit *Trimegist.* Dei abne-
 gatio omnium scelerum fons est, *Philip. Iudæus de*
præcep. & nihil interest, quem esse Lupum, & videri
 Ouem. Dùm, malum est, esse malum; insania est, non
 velle videri, cùm sit. Veritas semper liquet, suntque
 vitia, vel rarò, vel nunquam in abscondito. Turpia
 quidem sunt, teste *D. Hieronym.* quæ sub colore tegun-
 tur virtutis, cùm sub vmbra mancant, videntur qualia
 sunt, radios dictante Sole. Vndè Vates materna lingua
 testatur:

*Alma Rea d' Infedeltà
 Mai ne v' senza supplicio,
 Et nel mar del proprio inganno
 Fassi porto il precipizio.*

MONITVM II.
Colendus non tantùm Deus, sed timendus.

SVMMARIVM.

1 *Primum Iustitiæ officium quale.*

2 *Bea-*

- 2 *Beatus homo, qui timet Dominum.*
 3 *Timor inter passiones ponitur.*
 4 *Limitatur in timore Dei.*
 5 *Expedit, vt Iudex, Reipublicaq; Rector timeat Deum,
 & quare? vsque ad num. 7.*

C A P. II.

1 **P**rimum iustitiæ officium est, Deum cognoscere
 vt parentem, & metuere vt Dominum: nam, qui
 Deum timet, omnia faciet bona, vt habetur *Eccl. cap.*
15. omniaque bona aget, vt ait *Lattant. 3. epitom.* &
 est Salamonis oraculum: *Timenti Deum, non euenient*
mala.

E contra, vbi timor Dei non est, dissolutio vitæ est,
S. Isid. in Synod. vnde inquit *Lattant. de ira c. 8.* Tol-
 le hoc vinculum timoris Dei, & vita hominum, stul-
 titia, scelere, immanitate implebitur. Anchora enim
 cordis est pondus timoris, & sicut securitas causa, &
 mater est omnium malorum, ac delictorum; sic timor
 Domini radix, & custos est omnium bonorum, *S. Ber-*
nard. in sermon. vndè verissimè ratiocinabatur *Cyrus*
 apud *Xenoph. lib. 8. Ped.* ibi ita dicens: *Si omnes fami-*
liares Dei metuentes essent, minus eos, aut inter se ali-
quid illicitum paraturos, aut in ipsum; & in terminis
 ad Iudicem, & Reipublicæ Rectorem, inquit *Mastrill.*
de Mag. lib. 2. c. 2. n. 5. & 6. Iudex, qui in causis Deum
 non timet, à iustitia deuiat, atque citò præcipitabit.
 Vndè inter alias virtutes, vitæ sanctimonia, timore
 Dei,



Dei, & bonis moribus clarere debet, ad *tex. in l. generaliter, §. spurios, ff. de Decurion. cap. post quam, extr. de elect. Peguer. in pra. c. 7. num. 14. Thesaur. in praef. dec. nu. 24. & 27.* Hocque proprium est, Iudicis, & Rectoris, adeò quòd Dei est præceptum, *Exod. 18.* nè ij aliter eligantur, ibi: *Provide viros potentes, timentes Deum, &c.* & *S. August.* ad quemdam Comitem scribens, dixit: *Elige tibi consiliarios timentes Deum, &c.* Timor namq; super omnia se supposuit, & beatus homo, cui donatum est habere illù, *Eccl. c. 25.* ex quo timor Dei est, qui custodit hominum inter se societatem, *Latt. loc. cit. cap. 12.* Et ideò sanè monitum in Sacris litteris *Eccl. 1.* Deum time, & mandata eius obtempera, hoc est omnis homo, & subdit *S. Bernard. serm. 20. in cant.* Ergò si hoc est omnis homo, absque hoc, nullus est homo, & congruè: non enim dicitur vir, qui virilia despicit, sed brutum, cum brutorum opera imitetur, *Luc. de Penn. in l. veterant, C. de veter. lib. 10.* Leo rugiens, & visus cfuriens, homo impius, non timens Deum, dum mortuus est omninò à ratione, vt notat *Clem. Alex. lib. 1. pedagog. c. 7.* qui mali sunt, non regnant, sed sæuiunt, *Aug. 5. de Ciuit. Dei. Mich. Vltur. de reg. mund. p. 4. q. 1. nu. 2.*

Brutale fuit mugitum, vel saltèm impiè dictum, *Anacharsis Scyt. ex Val. Maxim. lib. 7.* Leges esse Aranæ telas, in quas, si inciderit quid debile, detinetur, graue verò pertransit, tela rescissa: nam superbia principium est nescire Deum, *D. Chrysof. serm. 9.* in periculosissimo statu sunt Iudices, nisi sint gratia, & timore Dei suffulti, *Bouadill. 1. polit. c. 3.* Nil vtilius Rei-

Reipublicæ, quàm pios eos habere; nec satis est, vt sint docti, nisi, & Deum timeant, *Fero. in Ap. c. 5.* Sicut oculi vitio laborantes perperam cernunt, ita malè imperat anima, quæ mala est; ex quo peruertit intellectum malitia; nec bona proficisci possunt, nisi à viro bono, *Arist. 6. eth. c. 12.* Iustitia namque, & virtus cum scelerato adesse nequeunt, *tex. in cap. forus, extr. de verb. signif.*

3 Et licèt timor inter animi passiones pro vilissima reputetur; vndè dictum:

Degeneres animos timor arguit.

4 Timere tamen Deum laudabile, proficuum, & gloriosum, vt aduertit *Laëtant. 3. epitom.* & testante *Plaut. in Pseudol. æquum est maximè metuere Deum:* nam ille est arbiter operum, consiliorum, & mentium, *Lips. 1. polit.* Ille est, qui viget, qui sentit, qui meminit, vindicat, & imperatur, *Cicer. in somn.*

5 Decet ergò non tantùm, sed expedit, vt Iudex, Reipublicæque Rector timeat Deum: etenim Deum timens sapientia plenus est, omniaque benè aget, dum testante *Psalmist.* Initium sapientiæ est timor Domini, Vir bonus primum sui, indè Reipublicæ Rector efficitur, iustè, ac prouidè gubernans; Humana, & Diuina non deserens, *S. Paul. ad Roman. 13.* quoniam pietas, ac Dei metus, quasi frenum est, & coertio in animis ab omni metu, *Lips. de vn. relig.* Qui consilium alteri dat, talis esse debet, vt seipsum formam alijs præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in grauitate, vt sit eius sermo salubris, atque irreprehensibilis,



consiliū vtile, vita honesta, sententia decora, *S. Ambr. lib. 2. de benef. c. 17.* Ex optimis namque viris, credibile est, optima emanare consilia, *Herod. in Thal.* dum solet Deus bonis viris bona consilia, & Reipublicæ commoda suggerere, *Phil. lib. de legat. ad Caium*, nec magnis murorum structuris; nec numerosa militum caterua continentur Reipublicæ, sed Gubernatorum, iustitia, pietate, & Dei timore, *Isocrat. in Aureopag.* Virtus enim, & timor Dei facit eos audaces, vt inquit *Spiritus Sanctus*: quinimò & in consulendo eos liberos reddit, ad *tex. in cap. fundamenta, §. decet, de elect. in 6. Binius conf. 103. nu. 42.* Habetque etiam & hoc probata vita Rectoris, vt animos Principum ingenuos tanquam oraculo inuentos, nunquam offendat. Habet iterum & hoc, vt serpentina in Republica mala, quæ ambizioso artificio Principibus celari solent, aperiat; *Vbi non vertuntur Gubernatoris mores ad malum declinantes* (eloquium est *Reg. Polit. apud Pluthar.*) neque vertuntur temporum vires, & fortunæ.

6 Hinc est, quòd si Iudex timore Dei sit præditus, est tutus vndique, & securus ab illis omnibus, qui iudicij reſtitutioni sunt impedimento, *Carleu. de Indic. disp. 1. nu. 6. fol. 3.* siquidem probi Regentium mores improba arcent consilia, faustos prouocant rerum euentus, vt *ibidem.*

7 Sanè igitur consultum: Videte, quid faciatis. Non enim hominis exercetis Iudiciū, sed Domini, & quodcumque iudicaueritis in vos redundabit; sit ergò timor Dei vobiscum, & cum diligentia cuncta facite, *Paralip.*

Monita de Virt. Christ. Iudicis, Cap. III. 19
lip. 19. 66. *Mastrill. ibidem c. 2. nu. 8.* Etiam mater-
na lingua Vates aduertit:

*Qual speranza vi fia già mai di bene,
Se chi giudica, ò regge, Iddio non teme?*

M O N I T V M I I I.

*Auspice Deo, rectè iudicatur; & Respublica geritur;
Politica, seu Ratio Status contra Deum,
sunt egrotantium somnia.*

S V M M A R I V M.

- 1 Deo opem præstante, fauste quæcumque contingunt.
- 2 Non est consilium, non est prudentia contra Dominum.
- 3 Inferiora superiorum lege reguntur.
- 4 Vniuersi Motor res disponit.
- 5 Insulsus Superior, qui credit, ex politica prospera euenire.
- 6 Rectum iudicium Rex David petit à Deo, & quare.
- 7 Vir Beatus, qui audit Dominum.
- 8 Non tantum scientia opus, sed Diuino præsidio.
- 9 Insanum sine Deo humana pertentare.

C A P. I I I.

1 **N**on omnia, quæ foelicem fortiuntur euentum, soli Iudici, Rectorique prudentiæ, & consilio sunt



sunt adscribenda. Diuino quodam genio opem præbente, foelicitè geruntur, quæcumque faustè contingunt. Si Deus non faueat, nil obtinetur, aut occinitur gloriosum, dùm inanis est illa prudentia, vbi Diuina prouidentia deest: Lex enim Dei consiliorum gubernaculum, vt docet *S. Ciprian. in epist.* siquidem populos regit Deus, ac vrbes, *Tit. Califurn. egl. 4.* Politica, Ratio Status contra Deum, sunt ægrotantium somnia, cœcutire videntur Superiores illi, qui floccipendunt mandata Dei; cùm vniuersè sit verum: Nil ritè, nihilque prudentè homines sine Dei ope, & consilio, honore, auspiciari, vt testis est *Plin. in paneg.* Vbi Diuina prouidentia non commilitat consilijs, actionibusq; hominum, tunc neque vir consultus, consultus; nec fortis, fortis; sed etiam sapientissima consilia insipientèr desinunt, & generosa maximè, & fortia facta turpem, & infamem exitum consequuntur, ita *Nicefor. Greg. lib. 7. histor.* Et opportunè *Lips. cent. 1. epist. 52.* ad rem inquit: *Humana omnia iactationes, & fluctus, in quibus nil firmum, nisi ad anchoram ea alliges vere pietatis.* Omnia vult Deus, & humana cõsilia castigantur, vbi se cœlestibus præferuntur, *Val. Max. lib. 1. cap. 6.* & vt aduertit *Comic. lib. 4.* Quæcumque tandem sunt homini consilia, Deus pro suo arbitratu moderatur omnia.

- 2 Et quidem, quænàm in Republica firmitas, nisi Deus præstò consilijs Iudicis, vel Reçtoris? Bona semper attulit Numinis veneratio, mala neglectus, & despectio; nunquàm cœcitate casus, aut fortunæ raptum est

est Regentibus decus, sed legis, Numinumque violatione, quæ eos prouocat ad vindictã; Et certò certius est, vt docet *Sapiens c. 21.* quòd non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum; quare legitur *2. Reg. c. 32.* *Stultè egisti, nec custodisti mandata Dei tui, quæ præcepit tibi; & ideò nunquàm dominatio tua ultra consurget.* Congruè ergò Christianum Iudicem hortatur, *Lucan. lib. 9. de bell. ciuil.* vbi canit:

*Heremus cuncti Superis, Temploque iacente,
Nil agimus, nisi spontè Dei.*

- 3 Est etiam Theologorum effatum: *Inferiora quæcumque Superiorum lege regi, & apertum Brutus habuit, dùm apud Vatem inquit ad Catonem:*

*Inconcussa suo voluuntur sydera lapsu
Fulminibus proprior Terræ succenditur aer,
Imaque Telluris ventos, tractusque corustos
Flammarum accipiunt, nubes excedit Olympus
Lege Dei.*

- 4 Primus etenim Vniuersi Motor rerum vicissitudines, Imperiorum alternationes disponit, solo consilio, quod leges edictat humanæ prudentiæ. Hinc est, quod inquit *Demipho apud Terent. in Phorm.*

*Dijs magnas meritò gratias habeo, atque ago,
Quando euenere hæc, frater, nobis prospere.*

- 5 Insulsus Iudex, parumque sanus Superior ille, qui præcepta dùm didicit mendicata politicæ, cuncta credit, sibi euenire prospera, edocto dogmate: *Quæcumque cooperantem non habent supernam dexteram, his ter-*

ram,

ram, & mare, & aerem aduersari tanquam fugitiuum aliquem Dei, & Iustitiæ violatorem efficaciter persequentia, testatur Nicefor. Gregora. lib. 7. histor. A veritate non distat, quod scripsit ad Henricum Cæsarem III. Gregor. VII. nempe: *Saluti nostræ tunc verè consulimus, & tunc verè prouidemus, cum in cunctis nostris actibus gloriam Dei præponimus.* Cor hominis disponit vias suas, sed Domini est dirigere gressus eius, ex quo supra sunt omnia, à quo sunt omnes causæ causarum, Senec. I. I. qu. natural. Deus enim solus omniscius, & expers erroris, Lips. de vn. relig. Hominum quicquid est, opinantur, vacillant, errant, vt *ibid.* Alcibiades Atheniensis ea inuritur nota, quòd omnia ad nutum fortunæ gereret sibi potius, quàm Reipublicæ fouentis, quodque benè regeret ad inanem dirigeret gloriam. Absit: nam, vt inquit *Velleius. l. 2.* mentem hominibus adimit. Suprema illa mens, quæ cuiusque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Nec consilio prudenti, nec remedio sagaci, fatalis dispositio subuerti, vel reformari potest Diuina prouidentia. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; Nulla verò facit homo bona, quæ non præstet Deus, vt faciat homo, *Caus. in libell. giorn. Christ. fol. 111.* nam re vera Deus in omni opere fons, & finis, *S. Paulin.*

- 6 Consultate itaque Rex Dauid Deum orat annuens, *psalm. 71.* Deus iudicium tuum dà; ex quo consilium omne de Cælo est, *S. Ambr.* Et ex hoc datur sapientia Reftori, vt possit iudicare populum, & discernere
bo-

bonum, & malum, ex *lib. paralip.* Hoc est, quod inquit *Tacit. in Annal.* Pleraque in summa fortuna auspicijs, & consilijs potius, quàm thælis, ac manibus geri, Deus circà omnia, & per omnia; actus enim est, & potentia, *Trig. de ment. comm.* Voxque Diuina est in ore *D. Paul. 1. ad Corinth.* Perdam sapientiam sapientium: nam, re vera, fœlicitas sola Regiminis est expectanda ab alto.

- 7 Beatus vir ergò, subdit in *Prouerb. Salam.* quæ Deum audit: nam vera animi quies à Deo, *Lips. 1. epist.* In maleuolam animam nõ introibit sapientia, *ibid. cap. 1.*
- 8 Negotia, quibus exercetur Iudex, & Reipublicæ Reftor, iactationes sunt, & fluctus, quæ Reipublicæ naufragium inducunt, ni procellas fugient Numina, & pietatis aurea. Non casu rutilant supernæ illæ faces, non sine mente, aut fixam habent sedem, aut hinc, aut inde aberrant; sunt characteres lucis rerum omnium contingentium prouidentiam prænotantes æternam, in quibus mutationes, & vicissitudines suas legerunt præterita sæcula, legunt præsentia, & legent futura. Et ideò in iudicando, & regendo, non tantum scientia est opus, sed Diuino præsidio, vt perbellè aduertit *Vida. de Reipubl. dign. lib. 2.*

Insuper nocentissima quippè sunt mala, quæ irrepunt sub persona virtutis; Crimina deceptoria, fraude velata, reuelant abscondita scelera, eaque sistunt in Propatulo. Quid ergò somniant Athei. Quid politicæ adscribendum in regimine Reipublicæ, cum malum doceant Macchiauellistæ dolum sub tegmine rationis?

Iam



Iam prodit malitia prudentiæ nomine palliata; operum haud est amplius, etiam insanis, quomodò Avaritia Temperantiam; Superbia animi Magnitudinem; Liberalitas Prodigentiam; Fortitudo audaciam; Iustitia Sævitiã, & Religio Superstitionem imitatur, & vulgatissima sunt per Vatem tradita ibi:

At nos virtutes ipsas inuertimus, atque

Sincerum cupimus vas incruscare. &c.

Et mala sunt vicina bonis errore sub illo.

Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

- 9 Agape ergò Christiane Iudex, Apage Reipublicæ Rector; damnatorum in regendo decantas dolosè chymeras. Insanum sine Deo pertentare quæcumque: Deo Auspice rectè iudicatur, foelicitè reguntur subditi.

Li falsi dogmi, e le dottrine incerte

Sogni son di chi dorme à ciglia aperte.

M O N I T V M I V.

Virtute, Litteris, ac Labore comparandus Honor, suntque Patria Teçta fugienda, ut assequatur facilius.

S V M M A R I V M.

- 1 *Honor extrà virtutem non inuenitur.*
 2 *Virtus labore, & sudore acquiritur.*
 3 *Alcibiades, & alij quare gloriosi?*

4 *Abs-*

- 4 *Absque virtute habetur fama, sed non bona.*
 5 *Extra Patria teçta perquirenda gloria.*

C A P. IV.

Immotus honoris Apex, constans, ac solidum gloriæ fastigium non inuenitur extrà virtutem; est enim verus honor virtutis opus, solusque virtutis præmium numquàm interiturum, *Aristotel. ad Nichomach. Vndè Ouid. lib. 2. fastor.*

Fama manet facti, posito velamine currunt,

Et memorem famam, qui benè gessit, habet.

Et alibi Vates:

Breue, & irreparabile tempus

Omnibus est vita, &c.

Sed famam extendere factis,

Hoc virtutis opus, &c.

Vita namq; perit morte, sed gloria non moritur, *Auson. in Thalet. sent. & iuxtà illud Ouid. 4. de Pont.*

Famaque post cineres maior venit.

Etenim, re vera, ea, quæ cum voluptate agimus, dulcia; quæ cum virtute, gloriosa, *Her. in orat. Mag. Alex. & ad rem Iuuenal. satyr. 8. dùm canit:*

Prima mihi debes animi bona, sanctus haberi,

Iustitiæque tenax, factis, dictisque mereri.

Et *Clarius Sill. Italic. lib. 15. de bell. punic. ibi:*

Mecum honor, & laudes, & leto gloria vultu,

Et decus, &c.

- 2 *At virtutis iter, sudore, Dij obuallarunt, Hesiod.*

D

ex

ex *Xenoph. de fact. Socrat.* & laboribus ipsi cuncta nobis protinus vendunt bona, maxima namque consequi sine labore, proprium Diuinitatis est bonum, *Epicarm. ex eod.* A nobis verò (vt ait *Sinnesius*) nondum virtutes, sed cætera quoq; præclara sudore quærentur. Quod & probat *Maxim. Tirus*, annuens: *Laborum hic plena sunt omnia: Nil, quod pulchrum sit, vel honestum, ab ignauia producitur, & verissimum, Aristotil. dogm. lib. 2. ethic. cap. 3.* dum ait: *Virtus versatur in difficili*, quod refert & *Naso 2. de Pont. ibi:*

Tendit in ardua virtus, &c.

Et *lib. 4. de tristib. eleg. 6.*

Ardua per præcepta gloria vadit iter.

Sicque testatur etiam *Virgilius:*

*Non via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.*

3 Fuit propterea fœlix habitus Alcibiades, non propter nobilitatem, quam dedit fortuna eximiam; non ob exundâtes diuitias, aut præstantissimam formam; non propter propensum Ciuium fauorem; sed propter damnationem, exilium, venditionem, inopiam bonorum, odium Patriæ, violentiam, denique necem, quæ mala in ipsum prouocauit virtus. Et gloriabitur *Duilius Romanus*, quòd superasset bello *Carthaginenses*, nõ quòd è cæna *Senatus* priuilegio cum ardente *Phanali*, sella curuli, & tibiscine præeunte domum redirent, Et teste *Boetio metra. 7. lib. 8.*

Herculem duri celebrant labores.

Et

Et de *Achille Romano*, hoc est *Maiori Scipione*, scribit *Velleius Patero hist. lib. 1.* quòd semper, aut pacis, aut belli serijt artibus, semper inter arma, & studia versatus exercuit animum corporis periculis; Siquidem, vt aromata, longè, latèque odorem ammittunt, si teras; sic virtutis fama diffunditur, si præmas, *Lips. in lib. de cost. 2. c. 8.*

Qui laboris est impatiens ad virtutis culmen non ascendet, fructusque eius haud capiet, dum sine sudore nulla virtus perficitur, *Ioann. Cassiad. coll. 7. c. 6.* Vndè & ad rem, *Claudian. in nupt. Honor.*

Non quisquam fruitur veris odoribus,

Hybleos latebris, nec spoliat fauos,

Si fronti caueat, si timeat rubos,

Armat spina rosas, mella tegunt apes.

4 Et quidem virtute, & labore paratur hominibus gloria, & fama, Iudicibus præcipuè, ac Reipublicæ Rectoribus; absq; virtute famam qui regit habere potest, sed non bonam, nec firmam, aut diuturnam, nisi nixa sit eo fultro, *Lips. ex præfat. ad Mil. Roman.* Quoniam, vt radij Solis in fordes, & caligantia loca coniecti illustrant, nec inquinantur, sic bonis inter feros, squallentesque animos, resplendent nihilominus vera virtutis suæ laude, *Lips. in lib. saturnal. in præfat.* In famæ Templo non dedicantur improba, & monumenta petulsa, *idem cent. 2. ad Belgic. epist. 6.* Radix virtutis veram progerminat gloriam, cætera, quæ ostentantur sine virtute, potius ignominia semina dicenda, quàm honoris. Optimo iure effeminatam, mol-

D 2

lem,

lem, inconstantem, & fluxam Stoicorum porticus fœlicitatem illam appellat, qua sola constituunt naturæ, vel fortunæ bona sine virtute: sunt bona floccipendenda, nisi pertrahantur in exercitationem virtutis; sanè à Torquato traditum;

*Chi non suda, e non gela, e non s'estolle
Dalle vie del piacer là non perviene,
Mentre sù l'erto, e fatigoso colle
De la virtude è posto il nostro bene.*

Quod antea aduertit Seneca in Hercule furente scribens:

Non est ad astra mollis è terris via.

Virtute igitur, ac labore comparandus honor, & proindè Iudices, & Rectores vitam agant ex fructu conscientiæ, nec requirant nuda vocabula pomposæ iactantiæ; in cuius moribus militant blandimenta maiorum, Ennod. ad Theod. memoria eorum duratura, si virtute, & rectè factis mereantur, vt inquit Frontin. quoniam, testante Lips. in comm. in Plin. panegiric. è Græco Teognid.

Virtuti facilis, pronaque fama venit.

5 Docet tamen in dies experientia, haud famam, gloriamque contingere, cui tanquàm testudini redditur exosum relinquere domum; ex quo Vettorelli teste fol. 105.

*Affai perde virtù nel patrio Nido.
Quel fanale, ch' in cima
Posto d'un'alta mole hà maggior luce
Di lontano il valor vi è più riluce.*

Et

Et ideò, sic materna etiam lingua docente Vate Innōiofæ Commendatore in Lyricis.

*Fugga il tetto natio, chi gloria brama,
Alata anco è la fama,
Ne giunge à lei, chi dal paterno albergo
Non volge il passo, e non riuolge il tergo.*

MONITUM V.

*Ex litteris, doctrina, & usu acquiruntur virtutes.
Erudiendus proindè est Iudicum, & Recto-
rum Animus.*

SUMMARIVM.

- 1 *Virtus casu non contingit, sed ex doctrina, & usu acquiritur.*
- 2 *Litteræ in paranda virtute magnum adiumentum, in parata ornamentum.*
- 3 *Reprobantur Stobeus, & Cornelius Agrippa.*
- 4 *Inscitia mater est erroris.*
- 5 *Sapienti omnia sunt facilia.*
- 6 *Sapiens non videtur subiectus esse fortuna.*
- 7 *In eruditione litterarum non pauca discunt Regentes, & quæ.*
- 8 *Scientiam odunt imprudentes.*
- 9 *Liberales disciplina vires augent, quicquid alij contra, & pietati non nocent.*
- 10 *Principes sunt, qui regere sciunt.*

11 Qua-



- 11 *Quare fabuletur, Mineruam ortam è capite Iouis? explanatur.*
- 12 *Regere est ars omnium summa, & quare.*
- 13 *Populus dicitur effretus equus.*
- 14 *Rektor tenetur noscere vulgi naturam, & expenditur Tacit. in diuers. locis de vulgo.*
- 15 *Rektor excolere debet à libris usum, & artem rectè regendi.*
- 16 *Multitudo librorum distrahit animum.*
- 17 *Quomodo legendum, & quales legendi libri.*
- 18 *Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.*
- 19 *Carmina Francis. Donnol. in Lyricis.*

C A P. V.

Virtus neque nascitur, neque casu contingit, vt aduertit *Plato in Pittagor.* sed intellectualis ex doctrina, moralis verò ex vsu nascitur; vnde duo dicuntur parentes prudentiæ, vsus scilicèt, & memoria rerum. Ad rem *Afran. Poeta:*

Vsus me genuit, mater peperit memoria.

Pro vsu tamen intelligitur notitia humanarum rerum ex visu, vel tractatu, & pro memoria, notitia similis, vel ex auditu, vel lectu, vt aduertit *Lips. 1. polit. cap. 8.* Sine litteris ergò, & doctrina non tam facilis potest esse virtus: nam virtutem doctrina ornat, aut perficit, *Lips. ibid. c. 10.* non quod verè virtutem doctrina dare possit, vt notat *Senec. epist. 89.* sed quia animum ad accipiendam illam præparat; sicut enim aspe-

aspectus à circumfuso aere lumen accipit; ità mens à doctrina, *Arist. apud Laert.* & re vera, litteræ in paranda virtute, magnum adiumentum, & in parata, magnum ornamentum, vt scribit *Lips. cent. 1. epist. 26.*

3 Delirat ergò *Stobeus*, qui scripsit: *Doctrina nihil esse vanius; & somniat Cornel. Agrippa* ità scribens: *capit. 1. de vanit. scientiar.* Ego nil perniciosius, nil humane vite pestilentius, animarumq; nostrarum solui posse contingere, arbitror, quàm ipsas artes, ipsasque scientias. Ac infanus fuit, qui Regem filium voluit rudem esse bonarum artium, nè esset, vt dicebat, in consilijs capiendis refractor, & tenacior sui sensus: nam certum est, nullū esse, vt ait *Vege.* quem oporteat, vel plura, vel meliora scire, quàm Princeps, seù Ciuitatis Rektor, cuius doctrina potest omnibus prodesse subiectis; Quod, sola natura, euocatur ad lucem, vel statim in ipsis cunabulis extinguitur, aut sensim euanescit, nisi præitò sit sapientiæ adiutorium. Qui ignorat semper iniustus est, *Lucas de Penn. in l. uniuersos, C. de stud. liber. lib. 10.* Sed è contra, cuius cor intrauerit sapientia, prudentia seruabit eum, vt habetur in *proverb. cap. 62. ad 12.* ex quo prudentiam doctrina promouet, *Lips. ibid. c. 10.* Ideòque sanè monitum:

Discite virtutem Iuuenes, nam sola beatos

Nos facit, & diræ non timet arma necis.

Siquidem nil de Virtute splendidius sentiri potest, dum, *Venusino teste 1. epistolar.*

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Eueniuntque generalitèr ex litteris, & doctrina laus,

&



32 *Francisci Iosephi de Angelis*
& fama', ipsius doctrinæ præmia, cum habeat locum
sapientia inter Altra, *Senec. in Hercul. Oegeo:*

Perseque petenda est

Extremis virtus incommitata bonis.

Vt inquit *Ouid. 2. de Ponto*, & vt notat *Sill. Italic. lib. 3. bell. punic.*

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Extrà virtutem nil vnquàm boni, vel rarò: nàm bonum est id solùm æstimandum, quod omnibus semper, & vbique prodest, nulli, nullibi, nunquàm obest, nec mutatur, ita *Nissen. orat. de mort.* Nec aliunde hoc esse potest, quàm à virtute. Patet

Si ambules superbus pecunia

Fortuna non mutat genus.

Vt scribit *Orat. in epid. od. 4.* Si te nobilem iactas? *Iuuenalis* respondet:

Pens, & prauos, & quæ non fecimus ipsi

Vix ea nostra voco.

Nemo enim altero nobilior, nisi cuius ingenium est virtute præstantius, *Senec.* Vndè Vates:

Tota licet veteres exornent undique cæra

Atria, nobilitas est, atque unica virtus.

Si te constitutum in dignitate demonstras? Aduertas, quòd qui alijs sine virtute præsumunt, statuæ sunt, silenis oppositæ, quæ solùm honestam per se foris, speciem ferunt ex dignitate, intus plumbeæ sunt, aut lapideæ. Eiusmodi viros vocat *Tullius* Arcadia pecora, præ potentum fauore ad Senatoriam præstantiam sine merito euecta, cum secundùm *Stobæum*, Homines impe-

imperiti sola forma à bestijs differant,

4 Præter quàm quod expedit, Rectores Reipublicæ sapere: quòd enim quisque magis quid decet, intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officij, & etiam quod omninò sibi non temperet à malefactis, adhuc tamen nè planè modum excedat, cauet, *Comine. lib. 10. comm.* Quippè nemo meliùs imperat, quàm litteratus, vt habetur ex *histor. August.* Inscitia est mater erroris, *Enod. in panegy.* Vacuumque habitum omnium bonorum, vocat *Plat. 9. de Republ.* & proindè omnis ignorans malus, *Arist. 3. ethic.* Nunquam ipsis quicquam iniustias, & quod peius est, nisi quod ipsi faciunt, nil rectum putant, *Terent. in Adel.* Adeò quod exclamat *Boetius metr. 8. lib. 3.* Heu Heu, quæ miseros tramite deuiò abducit ignorantia? Vita sine litteris (*scribit Senec. epist. 88.*) mors est, & viui hominis sepultura; Imprudentia infœlix, quia plerumque ex se præcipitat, *Salust. ad Cesar.* Vt nauis, quæ inter fluctus sine clauo iactatur, sic mens, quæ in hac vita sine sapientiæ gubernaculo, *Lips. cent. 2. epist. 8.* ex quo non vidit videns litterarum inespers, *Cato lib. 3. disp. 2.*

5 Beatæ Reipublicæ sunt, quando eas, vel studiosi sapientiæ regerent, vel eorum Rectores studere sapientiæ contingisset, *Boet. de cons. Phil. lib. 1.* Vir enim litteratus duplo acutiùs videt, vt ait *Terent.* Sicque hic erit optimus, hic poterit cauere rectè iura, qui & leges tenet, (testante *Plut.*) Vir sapiens fortis est, & vix doctus, robustus, & validus, *Sapiens c. 24.* Imò, vbi est sapiens, ibi est Deus in humano corpore, ex *Plat.*

E

Hinc-



Hincque est, quòd sapienti sunt omnia facilia, secundum *Herodat.* quoniam, ut inquit *Epicurus* ex *Senec.* rarò sapienti interuenit fortuna, dum sapiens fingit ipsi fortunam sibi, nec arcem sapientiæ fortuna ullis machinis euertit; sapientia firma est, non timet pericula, *Lips. epist. 69.* nam vigilat sapiens contra improuisum omnem ictum, *idem cent. 1. epist. 22.* Nec extrà rem tradit *Hor. epist. ad Mec. lib. 1.* quod ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues, liber, honoratus, pulcher Rex denique Regum; & cœcutire prorsus iudicandus est ille, qui sapientiorum non adhibet oculos, vbi Reipublicæ cauenda sunt pericula; extrà dubium enim est, nil scientia esse digniùs in rebus humanis, quod quoque probat *Lucret. de natur. rer. ibi:*

*Nil egregium quàm res, est cernere apertas
Ab dubijs, animus quas abs re protinus abdit.*

- 6 Et quidem sola sapientia victrix est fortunæ, nec ei sapiens subijcitur, quia fortuita quæque sua sibi subijcit, ad rem *Iuuenalis Satyr. 13.*

Victrix fortunæ sapientia.

Et alibi:

*Paulatim vitia, atque errores eruit omnes,
Prima docens rectum, sapientia plurima fœlix.*

- 7 Præcelsæ illæ mentes, quibus Reipublicæ cura tradita est, nisi doctrina, & eruditione illustrentur, vix senticosum regiminis iter, quo progredi debent, inuentur; In litterarum eruditione inuenient Iudices, & Rectores, quomodo populos sub æqualitate dispo-

sponant, *Cassiodor. 3. lib. epist.* Prudens inuenit, vnde sapientior fiat; bellator vnde virtute animus roboratur, ut inquit *Lips. in dialog.* & inquit *Sapiens c. 6. & 8. a 11.* Venerunt mihi bona omnia paritèr cum illa, & vires, & diuitias nil esse duxi in comparatione illius, cum melior sit sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari: nam scientiæ pacem dirigunt, bellum dirimunt, vitia virtutesque præmunt, aut excitant testes temporum, arbitra meritorum, *Lips. in lib. de cruc. in præfat. ad Brab.* & ut testatur *Horat. lib. 1. epist.*

*Virtutem doctrinâ paret, natura nè donet,
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid purè tranquillet, honos an dulce lucellum,
An secretum iter, & fallentis semita via.*

- 8 Qui alitèr sentiunt, mentiuntur quidem ut improbi, dum animis tantùm improbis, & seruilibus displicet quicquid probum, rectum, & honestum est, *Sapient. c. 1. a 22.* & sapientiam, & doctrinam stulti despiciunt, *Salam. cap. 1. a 8.*

- 9 Nec est verum, quòd liberales disciplinæ vires, ingenium, robur enervant, ut aiunt litterarum exterminatores, & quod noceat Sapientia, Religioni, & Iustitiæ: nam errores sunt ij plusquàm palmarij, quoniam, qui sapit, quod Deo conuenit, & Iustitiæ, non ignorat, & scientia prodest magnoperè, si is præsertim, qui eam didicerit, sit virtutibus instructior, & veritate sapientior, *Lips. in dial.* & vera est *Comici* sententia, quam *Seneca* subscribit: *Aliundè nempè, quod non*



veniat animi robur, quàm à bonis artibus; Sapiencia, & Virtus duæ pennæ sunt, per quas ad Dei cognitionem peruenitur, & quantum valeant, testatur *Boetius metr. 1. lib. 4.* dùm canit:

*Sunt enim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa coscendunt Poli;
Quas, si cum velox mens inducit
Terras perosa dispicit.*

Inde opportunè dicitur, sapientiam proximam esse Deo, cuius voti esse videtur, & *Venusius oda 12. lib. 1.* ubi inquit:

*Proximus illi tamen occupavit
Pallas honores.*

10 Hinc veritas aperta est, Principes non esse, qui sceptrum ferunt, sed qui reggere sciunt, nec sanè esse Iudices, quibus est opertum cum veritate, ac rectè iudicare; Et ideò ad Reipublicæ dignitatem honestiùs, aut vsu salutariùs nil aliud, quàm Senatores habere sanæ doctrinæ professores: etenim, cum Nauta erret, modicum affert nauigantibus nocumentum; sed cùm errore decipit, aut decipitur Gubernator, totius afficit nauilij perniciem. Prodest utique dignitas collata sapienti. Vndè *Sapiens 6. 23.* *Si delectumini, sedibus, & sceptris, diligite sapientiam, ut in æternum regnetis, & c. 9.* ipse ita Deum orat: *Da mihi sedium tuarum assistitricem sapientiã, ut mecum sit, & metam laboret, ut sciam quid acceptum coram te omni tempore.* Quid enim (inquit *Lips. cent. 1. c. 12.*) litteraria vita, & otiosa hæc tranquillitas non habet commodi? Equidem testor,

Itu-

studium litterarum, ac cartarum reuolutionem in libris, non dissimilem esse ab alearum ludo, hac tantùm adhibita temperantia, quod in hoc, ut plurimum fit aliqua rerum amissio, at in illo nunquam perditur. Præsertim magnopere lucrifaciunt, qui iudicant, & regunt, dùm re vera laudabilis est Philosophia, publicum ritè tractare negotium, benè cognoscere, iudicare, monere, & exercere iustitiam, ex *Plinio.*

11 Ut ergò Supremus Numinum Princeps Iouis nomine circulatus, molem Imperij dirigeret, sapientique versaret consilio, dicitur Mineruam sibi è capite congregasse; ex quo, ubi sedent, & iudicant imperiti, nunquam benè est perfecta Respublica, *Anachars. ad Ath.* Doctrinarum enim inespertes, cùm sint quodammodo pueri, ad tradita per *Strabon. in Geograf. lib. 1.* non habent arbitrium, neque constantiam, ut aduertit *Auerroes*; Imò cadunt ad improuisum omnem icum, ex *Lips. contra quem è contra vigilat sapiens, idem Lips. cent. 1. epist. 22.* Indè cuenit, quòd Plato minatur in sua Republica: nempè Respublicas multas peri, ut pereunt, & peribunt nauigia ob Gubernatorum, & Nautarum improbitatem; fuitque pluries prolatum à Xerse: *Ignorantia Regentis agere Nauim in Syrtes.* Itaque dignum, ut qui est scientia præditus, reddatur honore reuerendus, *Cassiod. lib. 4. conf. Epist. 1.* cuius meminit eruditus *Scoppa in laconica panegyri. ad Consiliar. Petra, lit. S.* nam cum homine imperito nil sit iniquiùs, text. est expressus in *cap. si laicis, 38. dist. 10.* solus sapiens iustè iudicat populum suum, *Eccles. c. 10.*

&

& nè desiderentur exempla (inquit *Salustius*) quòd tamdiù valuit Romanum Imperium, quamdiù valuerunt Senatorum consilia; Imò Politicorum Principis est oraculum: *Rerum publicarum eternitatem sola Senatus benè consulentis incolumitate firmari*, nec sine arte 1. *de arte Ouid.* inquit:

Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

12 Insupèr regere, & gubernare non solùm dignitas, sed ars est artium omnium summa, vt docet *S. Chrysostom. epist. ult. ad Corinth. serm. 15. Plat. Dion. Propinq. epist. 7. & D. Thom. de regim. Princip. c. 15.* Animæque medicina, quæ est iustitia omnium artium, dicitur maxima à *Plutarch. de ser. nu. 20.* ex eo quia homines in nullum magis insurgunt, quàm in eos, quod imperium in se infectare sentiscunt, *Xenoph. c. de ped. Cyri.* Et cum inter omnes animantes homo maximè, & moribus varius, & voluntate diuersus sit, *Nazianzen. in apol.* Nullum animal maiori arte tractandum, quàm homo, *Senec. lib. 1. de clem. c. 17.* Quomodò igitur ex imperitia recta hominum gubernatio? *Arduum* (monet *Tacit. 1. annal.*) & subiectum fortunæ regendi onus; & non mentitur, dùm subdit: *Nec fortuna solum obiectum, sed odijs.* At ultra: *Hoc precipuum illorum, qui reges, si quid beneficiarijs, leuior pluma ex gratia; si quis peccatum sit, plumbeas iras gerunt, si insipiens; quid in hoc sapias?*

13 Item effrenis est Populus, variant ingenia, multiq; sunt tam Ciuitatum, quàm singulorum hominum mores, *Liu. lib. historiar. 45.* Alijs præesse nescit, qui neque

neque se ipsum scit, eique importabile redditur onus, quàm sapientiæ viribus, & opera destituitur, vt docet *Socrates.* Imperitus Iudex secundùm leges, quas ignorat, pronunciare non potest, *Reg. de Pont. de elect. offic. §. 5. nu. 11.* Nec vlli est opertum, quàm mala pareat ignorantia, & per consequens, nisi sit peritus, nec Iudex poterit esse prudens. Talis ergò esse debet, vt cognoscat merita causæ, ac discernat, quid debet iudicare? Sunt sanctæ voces *B. Ioann. à Capestrano in specul. consc. in prin. nu. 3.* & tradunt *Capibl. 3. de Baron. nu. 134. Viuius decis. 178. nu. 16. Rouit. pragm. 1. de off. & quæ, &c. nu. 15.*

14 Præsertim quisquis peritus vult esse regendi, & gubernandi, noscenda sibi erit natura vulgi, & quibus modis temperantèr habeatur, ità aduertit *Tacit. 3. annal.* Quod quippè inter cœtera difficiliora, difficile, dùm vulgo nil incertius, *Cicer. pro Muren.* Pronumq; videtur in affectus; vndè inquit *Tacit. 1. histor.* vt est mos vulgo mutabili subitis, & tam prono in misericordiam, quàm in modicum sæuitia fuerat; Et *Quintil. in declam. 2.* Nec quicquam faciliùs, quàm in quemlibet mutare Populum, Natura inuidum vt *2. histor. ibi: Ægris oculis alienam facilitatem intuetur.*

Susplicax, vt *ibid.* vbi ait: *Municipale vulgus pronum ad suspiciones.*

Credulum, vt *3. annal. ibi: Quoque modo pro competit audita habet, præsertim cū tristia sunt, vt 1. hist.*

Se res auget, *ibi 3. annal. Cuncta, vt mos fame in maius credita. Comprimi nescit, quod probat idem*

Tacit.

Tacit. ibid. 3. histor. annuens: Prohibiti per Ciuitates sermones, eoque plures, ac si liceret vera narraturi, qui i vetabantur, atrociora vulgauerant.

Turbidum, ingenio mobili seditiosum, atque discordiosum, cupidum nouarum rerum, quieti, & odio aduersum, vt *1. histor.*

Semper immodicum. Hæc enim est natura multitudinis, aut seruit humiliter, aut superbè dominatur, *Liu. 23. Vndè Tacit. ibid. 1. anal. nil in vulgo modicum; Terrere ni paueant, vbi pertimuerint impunè contemni.*

15 Quid igitur Reipublicæ bonum ex torpore, & ignorantia? Quomodò prouidere discas, vt rectè te geras? Moneas Iudices; prudentèr prouideas; fidelitèr seruias, *Lips. respondet, ac docet, & sapientissimè 4. polit. c. 5. Nempè à percuntatione; ab vsu; à libris. Et ideò Iudicum, & Regentium animus à liberalibus studijs excolendus, alias malè se res habet in illa Republica (vt inquit Sidomius) in qua exulat Senatoris negotium, vt dominetur otium cum mente laxata curis. Dedit natura (inquit Seneca) fundamenta, semenque virtutum; cum irritator accessit, doctrina nimirum, & eruditio, animi boni, velut sopita excitantur.*

Quomodò scintillam, si flante adiueris ore,

Continuò magnas elicit indè faces,

Insita sit animum virtutum semina, cum quis

Excitat, ubertim luxuriare solent.

16 Aduertendum tamen est, quòd distrahit animum multitudo librorum; onerat discendem turba, non instruit,

struit, multòque satiùs est, paucis se authoribus tradere, quàm errare per multos, *Senec. de tranquill. vit.*

17 Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat erit habere (*idem monet epist. 2.*) quantum legas; fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt, & diuersa, coinquant, non alunt. Probatos lege, & si aliquando ad alios diuerti libuerit, ad priores redi.

Imitandus est Heluidius ille Priscus, qui illustre ingenium altioribus studijs Iuuenis admodum dedit, non vt pleriq; vt nomine magnifico segne otium velaret, sed quo aduersus fortuitam Rempublicam capesseret.

18 Qui enim fructuosa, non qui multa scit, sapit, *Laert. in Aristipp. Arist. in sua Republica non vult sapientes tantum, sed ex prudentia agentes: nam præparanda non solùm, sed fruenda sapientia est, Cicer. 1. de finib. parum namque placent eæ literæ, quæ ad virtutem Doctoribus nil profuerunt, Pacuuius in Tugur. sicque cum D. Ciprian. lib. de patien. Philosophi factis, non verbis, non tam lingua, quàm vita eruditi, vt monet S. Paul. epist. 35. Senatores Athenienses ità gloriari solitos, Tucidides refert:*

Elegantes sumus, sed cum Partimonia, Philosophamur.

Sed sine mollitiæ, etiam vulgò:

19 *Negl' affari più viui
Quello tocca ogni punto, in cui men frale
E' l'intelletto alla prudenza eguale.*



M O N I T Y M VI.

Virtute potius, quàm Genitura ostendenda Nobilitas.

S V M M A R I V M.

- 1 *Virtute sola distinguuntur homines.*
- 2 *Nemo altero Nobilior, nisi ex Virtute.*
- 3 *Vera Nobilitas in Virtute.*
- 4 *Vir optimus non potest esse ignobilis.*
- 5 *Nobilitas non à diuitijs, sed Diuinitus datur.*
- 6 *Qui de Nobilitate se iactat, se natum ex ignobili inueniet.*
- 7 *Carmina referuntur Hyern. Preti in paneg. ad Emil. Pio.*
- 8 *Deriduntur, qui tenent natos in Villa, non posse esse Iudices, & Reipublicæ Rectores.*
- 9 *Referuntur nonnulli Imperantes, & Philosophi orti in locis obscuris.*
- 10 *Villanus dicitur à Vili.*
- 11 *Carmina Ciri de Pers. fol. 249.*

C A P. VI.

1 **V**T fordes repercussu solis detectæ prætereuntibus nauseam mouent; sic profectò Nobilium inertia, & turpitude cum Virtute maiorum collata magis apparebit, ac proindè grauiùs Populos offendat;

Et

Et verè, nonnè videtur tibi Cicero nausse, cum sic in Pisonem, qui obrepserat ad honores, errore hominum, & commendatione famosarum imaginum exclamauit: *O tenebra! o lutum! o sordes! o Paterni generis oblita! o Materni vix memor!* Miror equidem, valdeq; miror, adeò homines sub virtute ponere maiorum nobilitatem, vt sufficientem esse putent ad ornatum, quamuis sint vitiosi, & sordes. Absit, omnes pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur, *Minut. in oct.* Illa hominum nobilitas generi æstimanda est, quam sibi vendicat non genitura, quæ omnibus eadem est, sed meritum, & virtus, quæ est optima nobilitatis forma. Genus nobilitatis, quod immerita ostentatione abiectionis ignobilissimæ argumentum est. Fumentum superbiæ, *S. Fulg. epist. 2.* Fastum sanguinis, *S. Isidor. lib. 1. epist. 86.* Perit illi nobilitas, cui laus est ab origine sola, *Lucan. ad Pisan.*

2 *Ego (dicebat Rex Antigonus) propriae virtuti, non paternæ do mercedem, & præmiū: Nemo enim in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobiles, cui ex quacumque conditione supra fortunam surgere licet, Senec. epist. 44. Omnibus sunt eadem principia, eademque origo, nemo altero nobilior, nisi cuius rectiùs ingenium, & artibus bonis aptiùs, Sen. lib. 3. benefic. & sanè dictum:*

*Si Pater est Adam cunctis, si Mater, & Eva;
Cur non omnes sumus nobilitate pares?*

3 *Vera nobilitas in virtute, & ex virtute, Plat. lib. 20. de temper. & in Thees. inquit: Neminem Regem non*

F 2

ex



*ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex Regibus, omnia ista longa varietas miscuit, & sursum, deorsum, fortuna versauit. Quis ergo generosus? Ad virtutem benè à natura compositus; Hoc vnum est intuendum. Nobilem virum (fuit responsum Urbani IV. PP.) non nasci, sed virtute fieri nobilem; dùm re vera, nobiles non sunt ij. qui splendore nascuntur, sed qui pietate, prudentia, animi integritate, cœterisque virtutibus diradiant. Nobilitas hominum meritum, & virtus; Imò nobilem fieri pulchrius est, quàm nasci, quod probat *Auson. in Solon. sent.* docens:*

Pulchrius multo parari, quàm creari Nobilem.

Et *Ouid. i. de Pont.* cecinit:

*Non census, nec opes, nec clarum nomen Auorum,
Sed probitas magnos, ingenuosque facit.*

*Virtus Nobilitas, & alibi animus virtute remotus
Migrat in exilium, Nobilitatis honor.*

Nobilitas animi sola est, atque unica virtus.

De quo memor est eruditissimus, & I. C. maximus *Dominic. Manfrell.* qui & alia ad propositum dat in *obseru. ad decis. 183. Reg. Capyc. Latr. tom. 2. à num. 1.* & habent alij, quos sequitur celebris nostri æui I. C. *Nicolaus Vincentius Scoppa in obseruat. ad decis. Gratian. obseru. 155. nu. 27.*

4 Vir optimus utique non potest esse ignobilis, ut aduertit *Menander.* & ut inquit *Eurip. in dict. apud Stob. serm. 84.* Bonus mihi nobilis videtur, qui verò iustus non est, licet à Patre meliore, quàm Iuppiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur, & ad rem *Sulmonensis Vates epist. Heoroid. 11.*

Quid

*Quid iuuat admota per Auorum nomina Cælo
Inter Cognatos posse referre Iouem?*

Nobiles sunt, in quibus merita sunt maiorum, *Plut. in A pophteg.* natura parens æquè omnibus est, & claritas Ciuium præpotentum commentum est, & ideò idemmet *Vates ad Pisonem:*

*Quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numerofo consule facti
Profuerint, si vita labat, perit omnis in illo
Gentis honor, cuius laus est in origine sola.*

5 Et quidem, in Prudentia Nobilitas est, & intellectus non à diuitijs, sed Diuinitus datur, *Eurip. in Alex.* Indè laus est tutissima generis virum collaudare, qui iustus fuerit, moribusque optimis, ac eum vocare nobilem, *Affydom. Grec.* Quisquis natura procliuis fuerit ad bonum, etiam Matre natus Ethiope, Nobilis erit, ut *ibid.* Qui improbus, & iniustus est, inane Nobilem se iactat; Et si verè loquimur, solus vir bonus honore afficiendus est; licet si vtrumque adsit (hoc est, si cum virtute fortuna iungatur) is honore habeatur dignior, *Arist. lib. 3. Rhetor.* Hinc est, quòd *Pogius, & Platina* in ijs libris, quos de nobilitate scripserunt, sola virtute metiuntur nobilitatem; Et ad rem *S. Ambros. in lib. de Nabuchè Ieraclita, c. 13.* Nonne (inquit) sic verò conceptus, & natus es ex utero, quemadmodum & pauper es natus? Quid te iactas de nobilitatis Prosapia? Soletis & canum origines, sicuti diuitum recensere; soletis & Equorum vestrorum nobilitatem, sicut Consulum predicare; Ille ex illo Patre generatus est, & ille Ma-

tre

tre editus. Ille quo illo gaudet; Illis se proavis attollit,
sed nihil istud currentem iuuat. Non datur nobilitati
palma, sed Cursori. Deformior est virtus, in quo nobilitas
generis periclitatur. Nec abs re Codr. in epigram.
cecinit:

Sint tibi Gallorum Rex, & Regina Parentes,
Et maneat virtus Pectore nulla tuo,

Non pluries faciam te, quam tibi rustica Mater
Si sit, & rusticus ipse Pater.

6 Non est enim à veritate longeuum, quòd quicumque
de nobilitate generis se iactat, eundem se reperiet
cum eo, quem ex ignobilitate despicit. Vnde sanè in-
crepat Meron. de optimo Principe c. 29. Tu nè ergò illo-
rum hominum probas, qui turpissimos quosdam claro san-
guine ortos in petendis honoribus, industrijs, sed nouis
prætulerunt. At vide nè Xerxis Platani amore capti
emulus audias: quantum enim ab insania Xerxis abest,
qui steriles istos platanos (ità inertes illos appello, qui ge-
nus suum iactant) usque ad eò amet, ut præinani eorum
umbra, quamcumque facunditatem paruifaciant. Non
sunt magna, quæ è paruis non surrexerunt, Seneca.
Nemo vixit in nostram gloriam, nec antè nos, quod
fuit, nostrum est, D. Petr. de Blasio fol. mihi 41. Filius
sapiens gloria est Patri sui, Salam. Ità vt sit verum,
virtute potiùs, quam genitura sit ostédenda nobilitas,
Capiblan. pragm. 3. de Baronib. num. 134. Ex quo te-
stante Tacito 1. histor. generari, & nasci à Principibus,
fortuitum, nec ultra æstimatur. Vera ex Virtute Nobi-
litas.

7 Sunt

7 Sunt proindè quidem digni, vt derideantur ij, qui
putant, non posse nobilem haberi, cui fortuna dedit
nasci haud in Ciuitate, sed in Villa, eique nec profici
ad honores sapientiam, non profici virtutem, cum sit
secundùm eos spectanda Patria. Delirant, certè deli-
rant. Non domicilia, aut habitationes cognomenta
faciunt habitatoribus, sed habitatorum suorum co-
gnomenta locis induit, Æsch. in Thiniarc. Non parie-
tes, aut locus, in quo quisq; est effectus, conciliat nomi-
ni sapientiam, Laëtant. Firmian. Eapropter Neruam
non deterruit (scribit Dio. Niceus) quòd Traianus ho-
mo Hyspanus, nec Italus erat, nec Italicus; censebat
enim virtutem cuiusque, non Patriam existimari, &
ponderari debere; siquidem non loci, non generis no-
bilitate, sed virtute comparat vnusquisque sibi gra-
tiam, vt docet S. Ambros. Non vnde, sed qualis sit ho-
mo? quærendum est, vt consulebat quoque Bio. An-
tiochum: & Claud. in stillicon. laud.

Lectos, ex omnibus oris

Euehis, & meritum, nunquam cunabula queris,

Et qualis, non vnde salus, &c.

Sicut enim (inquit Plutarch. in comp. Licandr. & Syll.)
venator non canis prolem, sed canem, & equitandi stu-
diosus, non equi fœtum, sed equum querit; ità admini-
stranda Ciuitatis curiosus errabit omninò, si Ciuitatis
Rectorem, non quis, sed inuestigauerit, vnde sit. De
Imperatore optimo scribit Ausonius:

Punica origo illi, sed qui virtute probaret,

Non obstare locum, cum valeat ingenium.

Hinc



Hinc est, quòd cum Dionisius Siracusæ Tyrannus sedere iusserit Aristippum in ultimo loco, sapientèr dixit: *Illustrem hunc locum fieri, & apparere voluisti; vt habetur ex Laertio: non enim locus hominem (vulgò fertur) sed homo honorat locum.*

- 9 Et nonnè euenit quidem, vt de eorum virorum genitrici solo nesciatur, qui humiliori loco, & ipsi plerique solum genitrici confingunt, vt dent posteritati de locorum splendore fulgorem? An eo minores inueniuntur Aristotiles Hagirita, Eleatesque Zenon, aut Anacharsis Scytha, quod in minimis nati sunt viculis, cum illos ad Cœlum omnis Philosophiæ Virtus extulerit? Sanè igitur improbanti, quòd esset Scytha, respondit: *Mihi quidem Patria dedecori est, tu verò Patrie, vt refert Laertius. Vel Scytha sum genere, non moribus, vt scribit Stobeus. Thebanus fuit Epaminondas, qui modestia, & fortitudine nobilis Græcos omnes (suffragante Tullio) animi dotibus superauit. In summo Imperio paupertatis cultor, & litterarum citra arrogantiam scientissimus ea coniunxit, quæ perpetuò penè diuortio sunt seiuncta. Et sic de cœteris, qui haud sunt operti versatis in historijs. Sûma, & increata Sapientia non conditiones hominum, sed animos suscipit singulorum, seruum, & nobilem de moribus pronunciat. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus, vt testatur D. Paulin. epist. ad Cenant. Hoc bonum, rerum Scientiâ; Hoc tantum malum, Imperitia, Seneca epist. 31. Et ideò ait Pogg. de nobilitate. Ego mallem Apolei me asinum, quàm, aut esse*

esse talis, aut ortus ex eo, cui minus, quàm Afello sensus, aut prudentiæ est. Villanus dicitur à vili, non à Villa, Tyraquell. de nobilit. c. 2. num. 62. Imò quod magis est, vt docet S. Greg. Nazianz. Rosa ex aspera nascitur planta; non ergò Patria spectanda, sed Virtus; non locus, sed persona; non Ciuitas, sed animus; non vnde, sed qualis; Vndè Vates:

Non dan virtù le fasce,

Tanto è Codro, quant' Iro all' hor che nasce.

MONITVM VII.

Regiminis moles Prudenti disponenda consilio, Imperiumque sui, & aliorum à Prudentia accersendum.

SVMMARIVM.

- 1 *Prudentia est ars benè regendi.*
- 2 *Sola, quæ sibi, & alijs sunt bona consulere potest.*
- 3 *Sine prudentia non potest esse virtus.*
- 4 *Dignior est prudentia fortitudine.*
- 5 *Propriè Virtus est eius, qui regit.*
- 6 *Iudices, & Reipublicæ Rectores omnia prouidere debent.*
- 7 *Prudentia est sapere non tantum verbis, sed opere.*
- 8 *Magni animi esse debet, qui Rempublicam curat.*
- 9 *Carmina referuntur Franc. Donnol.*



C A P. VII.

INter dotes, & virtutum gemmas, quæ in Iudicibus, & Reipublicæ Reçtoribus pro bono regimine exquiruntur, collocatur Prudentia, quam virtutum Abatissam non incommodè nuncupavit *Diuus Bernardus*, ad hoc adductus ab erudito *Scoppa in Menexende Reip. regimin. §. 8. num. 41.* Etenim, cùm antequàm aliquid agant, deliberatione, rectoque iudicio, opus sit, quo, quid utile, honestumque, quid uè damnosum, ac turpe sit, intelligant profectò; si absit Prudentia, cuius nimirùm beneficio de rebus bonis, & malis, quæ ad bonam vitam pertinent, benè consulere valeant, nulla erit deliberatio, rectumque iudicium, nullus prætereà virtutibus relinquetur locus. Hæc itaq; aptè res talis, ac tanta, vt ars viuendi, benèque regendi, Dux, & auriga humanæ vitæ, reliquarum virtutum Mater nuncupetur, cuius orbatos lumine, Iudices, aliosque Populi Reçtores, quassari, ac funditùs deleri, videmus sæpissimè Reipublicas. *Sanè cum omnia dispexeris* (inquit *Lips. 4. polit. c. 5.*) *nil reperias peritè ad gubernandum; Moralium virtutum chorum ità Prudentia regit, ac moderatur, vt is continuo discedat, & euanescat, si fortè ipsa discesserit.* Hæc est, quæ honesta à deterioribus, vtilia discernit à noxijs, *Tacit. 4. ann. 11.* docetque quid sequendum, quid uè fugiendum in omni vita, *S. August. serm. de prud.* Humanis actibus prouidere, *Macobr. in somn. Scip. lib. 1. c. 8.* Ipsaque sola

sola est, quæ ducit ad rectè faciendum, *Plat. in Menon.*
 2 Quæ propter, vt docet *S. August. lib. 83. quæst. 31.* Prudentia est rerum bonarum scientia, malarum, & neutrarum, & idem docet *lib. 19. de Ciuit. & secundùm Arist. ethic. c. 5.* Prudentia, quæ est in animæ rationabili parte, quæ opinatiua dicitur, vel extimatiua, sine arte, & sola sua vi consulere potest, quæ sibi, & alijs sunt bona, & mala. Monet proindè Deus, *Matth. c. 25.* & aduertit *S. Paul. ad Tit. 2.* vt simus prudentes, siquidem nil est hominis prudentia dulciùs, *Cicer. lib. 1. qq. tuscul.* Solaque est prudentia, quæ rebus omnibus præponitur, quando foeliciter inuenitur in homine. Vndè sanè tutatur *Vates Satyr. 10.*

Nullum Numen abest, si sit Prudentia tecum.

3 Imò sub nomine prudentiæ, cœteræ cunctæ præponuntur virtutes, ex quo nulla virtutum prudentia vacat, *Tull. qu. tuscul. c. 5.* Vndè scripsit *Lips. polit. 1. cap. 7.* sine prudentia, quæ potest esse virtus? Nec quidem abs re, ex eo quia ars dicitur prudentia, vt medicina valetudinis, *Cicer. lib. 5. de finib.* cùm virtus sit dirigens ad rationis normam vniuersa, que cogitat, & agit, & nihil, præter rectum, & laudabile facit, *Macobr. loc. cit. lib. 2. c. 8.* & vt aduertit *Herodot. in comm. ad carm. Pittag.*

Illud iustum est, quod perfecta prudentia circumscribit.

4 Hinc est, quòd prudentiæ sunt omnia subiecta, *Lips. loc. cit.* & Antisthenis fatum est, prudentia Senatorum meliùs Vrbes, & Reipublicas muniri, quàm militum fortitudine: quoniam non eadem est animi



prudentiæ, & pecuniarum, numerosique exercitus ratio: fit namque, vt hæc assiduo bellorum vsu consumantur, & cum qui illa possident, deficient. At ea est prudentiæ natura, & vis, vt quando quis eam exercet magis, tanto magis augeatur, *D. Chrysof. dial. 1. de Sacerd. & vt notat Homer. lib. 3. Iliad. quem refert Cass. p. 11. consid. 8.* Plus habet in se prudentia ponderis, & momenti, quam corporis robur, ex quo non viribus (teste *Tullio in Lelium*) aut velocitatibus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur; sed consilio, auctoritate, & scientia, & refert *Freccia de subfeud. lib. 1. nu. 32. fol. 34.* sicque sanè ait *Vates:*

Vir prudens animo est melior, quam fortis in armis.

Et quòd prudentia sit dignior fortitudine, videtur sentire quoque *Politicor. Princeps*, dum inquit *3. anal. Plura in summa fortuna auspicijs, & consilijs, quam thelis, & manibus geri, sed clariùs Valer. Flacc. 4. Arg. ibi:*

*Sed te non animus, nec solis viribus æquum,
Credere, sæpè acri potior prudentia dextra.*

Et *Menand.*

*Famulatur omne, quicquid est, prudentia.
Nec insolens effatus est ex Euripide, qui inquit:
Mens una sapiens plurium vincit manus.*

Apertum est enim, teste *Liuiio*, multa, quæ natura impedita sunt, consilio expediri. Improbo animo semper adiuncta est quædam consilij leuitas, quæ facili negotio, leuiq; ventorum incurfu concutitur *Respublica*. Hæc benè consulentis incolumitate firmatur, reli-

reliqua intercidunt, nec possunt à casu iugiter reparari, adeò quòd si *Sophochi* sit adhibenda fides.

Nulli homini prudentia

Contingere meliùs, aut potest magis utile.

5 Sed præsertim præcipua virtus hæc est eius, qui præsidet, non ei, qui subest, ex sententia *Arist. 3. polit. c. 3.* Proindè qui consilio molem sustinet *Regiminis*, id vnum spectare debet, vt ipsius consilij, & prudentiæ vsus in bonum *Reipublicæ* collimet. Rector prudens dicitur sibi sufficiens, & *Reipublicæ*; imprudens contra, *Plat. in Alcib. 2.* & vt habetur *Eccl. c. 10. Ciuitates habitabuntur per sensus prudentium, & firmissimum propugnaculum Ciuitatis.* Quarè sanè monet *Isocrates ad Nico. in Euag. orat. 4.* Vos, qui dominamini pluris facere oportet prudentiam, ex quo Nil firmiùs ad *Reipublicam seruandam* (aiebat *Fabius Maximus*) optimo *Senatorum consilio*, mentis prudentia, atque animi moderatione adhibito. Quod voluit etiam *Arist. 3. de Republ. c. 4.* vbi inquit: *Virum facultate præditum Ciuitatis regendæ, necesse est, esse prudentem, cuius doctrinæ memor est Carleual. de Iudic. lib. 1. tit. 1. disp. 1. sub nu. 18. & 19.* quem refert *Scoppa in Menexen. de Reip. regim. cit. §. 8. nu. 43.* traditque *Xenoph. 1. de Ped. & idem Arist. 3. polit.* dum inquit: *Prudentia imperantis propria, & unica virtus, dum omnibus animalibus faciliùs imperatur, quam Hominiibus, sicque nil indè boni, si quis eos gubernat, desiderat prudentiam. Nemo liquidem præesse potest, nisi prudens, imprudentibus fatiùs est regi, quam regere, Mastrill. de Magistr. lib. 2. c. 2. nu. 77.*



6 Et quidem, nemo est, quem lateat, quòd Iudices, & Rectores omnia debent prudentia circumspicere, omnibus prospicere, cuncta à longinquo prouidere; quapropter nil magis curabant Ægyptij, quàm in Sceptro regentium oculum constituere: nàm quod acies videndi est in oculo, hoc prudentia est in animo, testante *Sophocle*. Hæc sapientis tessera, præmeditare cuncta, ac præspicere, cogitatione futura, præuiaque mentis indagine constituere, quid contingere possit; vt monet *Tullius*. Prudentia nàmque est, quæ præsentia ordinat, præterita recordatur, & futura prouidet, ex *author. lib. 4. virt.* Vndè fallere non vult, & falli non potest, *Lips. 1. polit. c. 7.*

7 Aduertit tamen *Philo Iudæus lib. 1. leg. allegor.* quòd prudentia non est solis verbis sapere, sed opere spectatum esse, actionibus ad virtutem compositis; quibus enim regimen aliorum commissum est, per prudentiam præsertim videre debent, quod impigentes non sibi soli cadunt, non sibi tantum peccant, sed Patriæ, sed Reipublicæ; imò ex Rectorum imprudentia, nedum Imperium infirmum est, vergensque ad occasum, sed ferè iacet extintum. Sicq; non expetat Christianus Rector adumbratam politicorù prudentiam, sed vnà cum Diuina ope industria comes est iungenda; & quemadmodum Gubernator Navis post preces, & vota dat operam, vt probo nauigio, benèque instructo nauiget; manum propterea gubernaculo admouet, atque cum fluctibus, ventisque luctatur; sic Reipublicæ Rectori, vel Regenti iustitiam, tametsi
gnaro

gnaro, Deum esse Patrem luminum, largitorem scilicet prudentiæ, bonorum datorem, commodorum administratorem, ac dispensatorem fœlicitatis, *Meron. in Aula Davidic. cap. 10.* & latius in *seq. §. aliàs consilium.*

Frangit Deus omne superbum,

Magna cadunt, inflato crepant, tumefacta labuntur.

8 Cœterum magni animi debet esse, qui Rempubli- cam curat, aut capescit, vt inquit *Cicer.* quod est, quod monet *Tacit. 3. anal.* eligi nempè iustitiam administrantes promptos, animo alacres, vigilantia, & consilio indefessos, negotijs pares, quibus sit experientia, dum multa experiendo fiunt, (eodem testante *Tacito*) quæ seignibus ardua videntur; & omnia ex prudentia procedunt, quia nulla mens aptior, quàm quæ multis experientia longa, ac frequenti rerum patientia domuit, quæ mitigatis affectibus ad salutaria veniat, *Senec. epist. 69.* Vir in multis expertus cogitabit multa, *Eccl. c. 34. nu. 9.* Prudentis hoc proprium, & aliorum vtilitati consulere, *Arist. 6. ethic.* & Pallas nata est armata, vt habetur ex *Methodog. de con.* ex quo nunquam inermis est animus Sapientis ad euentus fortunæ, vel consilio, vel patientia superandos; quod satis simbolo Imperatoris Rodulphi declaratum est, cum sæpè dictaret: *Regni Prudentia custos.*

Ope ergò Dei accersendum ex prudentia iudicium bonum sui, & aliorum Imperium, & Regiminis moles prudenti disponenda consilio, vulgaritèr & dictum est.



*Francisci Iosephi de Angelis
Col senno, & con la man Pilota accorto
Guida fuor di tempeste il legno à Porto.*

M O N I T V M VIII.

*Sine summa, atque aeternae Prudentiae ope, nemo prudens
esse potest, proinde ex Virtute, ac Vitae probitate fœ-
lices spectantur Iudicum, & Rectorum,
Reipublicaeque euentus.*

S V M M A R I V M.

- 1 *Prudentia expetenda à Domino.*
- 2 *Rempubicam in finem perducunt optimum pruden-
tia, ac vitæ probitas.*
- 3 *Monitum Patris Aiaci filio.*
- 4 *Rex David opem petit à Domino, vt possit Regnum
suum gubernare.*
- 5 *Dignitas collata improbis demonstrat indignos.*
- 6 *Nemo malus fœlix.*
- 7 *Improbitas vitæ pondus est.*
- 8 *Qui docti fuerint, fulgebunt.*
- 9 *Carmina Francisc. Donnol. in lyricis.*

C A P. VIII.

1 **T**ale bonum cum sit Prudentia, prout supra vi-
sum est, eius particeps, vt fieri possit Rector,
& Iudex, expetere debet à Domino: Duce namque
Deo,

Deo, qui summa prudentia est, summa fœlicitas, iter
imperandi prudenter, ac iudicandi fœlicitè, explana-
bitur procul dubio. Sanè Prudens Rector, Deiq; ami-
cus Iudex, adeò fœlix esse solet, vt malis imminenti-
bus non obsistat modò, sed ea ipsa sibi faciat incredi-
bilis fœlicitatis materiam, *Meron. in Aul. David. c. 9.*
& vt inquit *Menander:*

Deo volente etiam super vimine nauiges.

Debet ideò Christianus Iudex, quilibetquè Superior
alius se expurgare ab iniquitatibus, vt gratiæ Dei ope-
rentur in ipso. Qui recti sunt, habitabunt in Terra,
impij verò de terra. perdentur, & qui iniquè agunt, au-
feruntur ex ea, *Sap. in prouer. c. 2.*

2 Duo sunt, vt inquit *Xenoph.* quæ Respublicas in
finem perducunt optimum; Prudentia scilicèt, & vitæ
Probitas; Probi Regentium mores improba arcent
consilia, faustos prouocant rerum euentus. Fœlicitas
Reipublicæ pendet ex Regentium probitate inorum,
cujus interremptione tota fœlicitas est interrenpta, vt
hæc omnia in locis diuersis tradit *Tull.* Vndè sapien-
tissimè Rex David, prudentiam à Deo implorat in via
immaculata, vt in *psalm. 100. ibi: Et intelligam in via
immaculata, quando veniam ad te, &c.* se tali Duci
confidens, nec profectò eum sua spes fefellit: nam
Samuel 1. cap. 18. ità scriptum est: *In omnibus vijs suis
David prudenter agebat, & Deus erat cum eo.*

3 Apud *Xophod. in Aiacc. flag.* Pater Aiaci filio hoc
monitum dat:

Fili virtute velis vincere,

H

Sed



Sed auxiliante Deo; semper velis vincere.

Id Ajax, quia superbe in hunc modum contempsit: *Ego verò, vel absque auxilio Diuino, confido me istam atracturum gloriam, &c.* meritas impietatis, & arrogantiae pœnas, visus est dedisse, *Meron loc. cit.* Nil benè malitia cognitum, nil benè actum est. Inutilis (inquit *Lips.*) imò noxia scientia omnis, prudentiaq; est secreta à probitate morum, illa ad ornatum adhibenda, hæc ad salutem, vt in *epist. 22. cent. 1.* Infaniæ scelus est, incolumen diù sperare Rempublicam, vbi sceleris, & impietati manciantur Senatores. Mali sic quomodò virent, sic quomodò florent, igni seruantur, florent falsis bonis, pereunt veris tormentis, vt docet *S. August.* etenim impium capiunt iniquitates suæ, *Sapient. c. 5. a 22.*

- 4 Hinc est, quòd idemmet Rex prudentissimus, secundùm explicationem *Moron. loc. cit.* rectè, ac sapientèr ità ait: *Cùm sine ope tua Deus, nec viuere, nec familiam, Regnumque meum, uti decet, instituere valeam, equidem intelligam, erudiar in via immaculata, & perfecti; Tunc animum ad virtutum appellam, & quid factò opus sit, sciam, cùm tu mihi præsto eas.* Periculosissimum quidpiam in Deum committere, & proculcata æquitate, quocumque modo in illius offensam incidere, *D. Cirill. lib. 1. de rect. in Deum fid.* vbi non vertuntur gubernantium mores ad malum declinantes, neq; vertuntur vices temporum, & fortunæ, *Plutarch.* si Terrarum improbitas occupat Imperium, lugendus est sanè Regentium exitus. Id plorabat olim
- in

in Republica sua Romanus Orator, cùm dicebat Senatores alloquens: Iam pudori, probitati, virtuti, rectis studijs, bonis artibus nil est loci, quid ergò expectandum, nisi Reipublicæ exitum? Præstantissimum est Imperium, si in eo penès quem est, virtus luceat, & vitæ probitas, *Arist. lib. 5. de Rep. nu. 2.* Etiam Deo similes efficit iustitia, & sanctitas cum prudentia, *Plat. in The. & Sulmonense testante de fac. medic.*

• • • Longum probitas perdurat in æuum,
Perquè suos annos hinc benè pendet amor.

- 5 Improbis collata dignitas, non modò non efficit dignos, sed prodit etiam, & demòstrat indignos, *Boet. lib. de consol. Phil. prof. 6.* vt *Hystriones*, qui Regnum, Principumque personam agunt, veste, gestu, sermone similes, introrsum nil eorum habent; sic iste apparebit, qui conscientiam non habet, ac vitæ probitatem, *Lips. cent. 2. ad Belgas epist. 39.* Ità dignus iudicabere, inquit *Temistal. orat. 12.* si Deus præluceat, bonamque mensam det: Deus est Pater largitor luminum, scilicèt prudentiæ bonorum dator, ac fœlicitatis. E contra sic additante *Poet. Satyr. 4.*

Nemo malus fœlix.

- Ideòque improbos Iudices, & Rectores, sit licitum cum *Claudian. de rapt. Proserpin. lib. 3.* increpare:
- Quid mentem traxisse Polo, quid profuit altum
Erexisse caput, Pecudum si more perennant
A via?*

Pondus est improbitas vitæ, quæ etiam nolentem in præceps trahit, quare cuique hærendum in fastigio

potestatis suæ, vt nequeant cadendo discedere. Omneq; caducum est præter virtutem, quæ nulla ex parte potest pendere. *Horrendè, & citò apparebit vobis, (minatur sapient. 6.) quoniam iudicium durissimum ijs, qui præsumunt, fiet; Non enim detrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuspiam.* Sic igitur in Iudice, ac Christiano Rectore virtus, sit prudentia, quam, vt expetat à Domino, vitam probet, & ex hoc certè expectet in iudicando, in regendo fœlices euentus. *Qui docti fuerint, (habetur Daniel. c. 12. nu. 3.) fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas æternitates; domus impiorum delebitur, Tabernacula verò iustorum germinabunt, Dei promissio est, Prouer. 1. c. 11. Si agas Christiane Iudex, eueniat, quod habetur ex Iob. 11. c. 7. Quasi meridianus fulgor consurgit tibi ad vesperam, & cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer. Alitè sentire non est, sine insanæ nota.*

*Che in questa vita humana
Senza quella del Ciel prudenza è vana.*

M O N I T V M I X.

*Prudentis est, non fidere Fortune Honoribus,
Authoritati, Populique Fauori.*

S V M M A R I V M.

Incerta sunt omnia rerum humanarum.

2 For-

- 2 *Fortuna nunquam sistit in eodem gradu.*
- 3 *Mortalium nemo est fœlix.*
- 4 *Fortuna cum mortalibus ludit.*
- 5 *Imò religiosè loquendo in humanis ludit Diuina potentia.*
- 6 *Longæuum nil in hac Mundi machina, nil æternum.*
- 7 *Non fidendum fortune, & non nullorum, qui fuerunt fortuna ludibria, referuntur exempla.*
- 8 *Tunc magis fortuna suspecta est, quando constans apparet fortune flustrum.*
- 9 *Cupiditati nil tutum.*
- 10 *Fortuna blandiens fida parum.*
- 11 *Popularis aura rarò quid boni potest afferre.*
- 12 *Vita hominis vapor, dies hominis sicut umbra pereunt.*
- 13 *Numen solet faustos deprimere.*
- 14 *Carmina referuntur Didaci Zunica.*

C A P. I X.

1 **I**ncerta sunt omnia rerum humanarum, *Lips. cent. 2. de Relig. epist. 58.* Fœlicitas, cui præcipua fuerit homini, non est humani iudicij, cum prosperitatem ipsam alius alio modo, & suapte ingenio quisque terminet, *Plin. 7. hist. c. 40.* Breuia momenta extollunt hominem, rursumquè deprimunt, & qui repente, velut castigata destituit, *Velleius lib. 2.* Imò abijcit, soletquè quos plurimis beneficijs conauit in durio rem referuare casum, *Lips. polit. lib. 4. cag. 9.* quod probat *Ioannes Secundin. in epigram. dicens:*

Non



*Non fortuna fauet, dum te sic tollit in altum;
Sed docet arbitrio te quoque stare suo.*

- 2 Fingit enim humana fortuna, arctatque, ut libet, *Plaut. in capt. nunquam sistit in eodem statu, semper mouetur, variat, mutatque vices, summa in imum vertit, ac versa erigit, Auson. in epig. nil liquidi in rebus humanis, Lips. ad Ital. epist. 82. vnde Virg. eglog. 9.*

Sors omnia versat.

Bonomius in Chyr. Achil.

In Mundo nil est certum, rotat omnia casus.

Et *Carius apud Senecam Tragic. magis explicat, annuens:*

*Etiam magna fortuna non caret formidine,
Nec splendor eminens vacat periculo,
Et quicquid altum est, haud tutum diu manet,
Ut quod ruat, vel inuidia, vel tempore.*

Traditque de fortuna *Ouid. 4. de Ponto ita canens:*

*Hec Dea non stabili, quam sit leuis Orbe fatetur,
Quae summum dubio sub pede semper habet.*

Adeo quod exclamat *Terent. in Heusr. O' fortuna, ut nunquam perpetuo es bona! Additque Senec. in Octau. Quid me potens fortuna fallax mihi blandica vultu forte contentum mea alte extulisti: grauius, ut ruerem edita receptus arce, totque perspicerem metus?*

- 3 Et re vera, si facere rectum iudicium volumus, ac repudiata omni fortunae ambitione discernere. Mortalium nemo est foelix.

- 4 Hinc est, quod teste *Venusino oda 34. lib. 1.*

Sauo

*. . . Sauo leta negotio
Ludum insolentem ludere pertinax.
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alijs benigna.*

Siquidem, testante Mantuano Vate,
*. . . Multos alterna reuiscens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.*

Quamobrem apud *Boetium.*

Hunc continuo ludum ludimus

Rotam volubili ore versamus,

Infima summis, summa infimis mutare gaudemus.

- 5 Sed ut religiosè potius, quam eruditè loquar, non fortuna, sed


Ludit in humanis Diuina potentia rebus.

Vnde habetur in prouerbio: *Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in Orbe terrarum, vbi exponit Lyranus, ludum faciens de Orbe terrarum, qui similis est ludo pilae, quae de vno transfertur in alium, quod inquit quoque Plaut. ibi:*

Dij nos quasi pilas homines habent.

Et minatur hoc ipse Deus in *Isai. per Prophet. ad templ. Praesid. dicens: Quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam; ludus vero talis est: Hunc humiliat, hunc exaltat. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

- 6 Propterea longeuum aliquid in hoc Mundo non est, nil aeternum, *Lips. lib. 1. de constant. cap. 17. sicut Solem istum assidue, vel nubes aliqua subducit, vel nox condit, talis omnis hic splendor, & foelicitas rapitur,*



pitur, aut euancscit, vt *ibid. in præf. ad lib. de mag. Roman.* Nunquàm in solido stetit superba fœlicitas, & ingentium Imperiorum magna fastigia obliuione fragilitatis humanæ collapsa sunt, *Senec. suasor. lib. fol. 272.* Etiam nauilia, contingit, quandoque dum cursum agunt, repente absorberi, totaque ita perire, *Coll. Rhodig. lib. 26. c. 12.* Indè ad rem dicebat Zeno, vt ex *Paul. Manut. in Apoph. Tunc benè nauigasse, cum naufragium fecisset, cum procul dubio sit: Nec gratiùs quidquam honore, nec breuiùs, Suet. lib. 11. c. 18.*

7 Non ergò fidendum fortunæ, non honoribus: honoris namque fœlicitas iugitèr in cursu est, stationem non habet, voluitur ad Occasum. Etiam Cæsaris pompa occidit. Nec Alexander Palmarem Imperij sui sustinet dationem esto fuisset Regnator, & Orbis Syracusanus ille Dionisius, teste *Iuuenal. Satyr. 10.*

Qui dabat olim

Imperium, fasces, legiones, &c.

Quid indè?

Vix humili duram repulit arte famem.

Vt fabulando verificat *Naso 4. de Pont.*

Expende Annibalem, quot libras in Duce somno

Inuenies? Hic est, quem non capit Africa Mauro

Perfusa Oceano; Nilque ad mota repenti, &c.

Exitus ergò quis est? ò Gloria vincitur idem,

Et in exilium præceps abit &c.

Vt pueris placeat, & declamatio fiat.

Ita testantur *Iuuenal. satyr. de fin. Annib. Sillius Italicus 2. bell. Pun. & Manil. lib. 4. Astrom. Marius Sep-*

ties

ties fuit in Vrbe Consul, teste *Manil. loc. cit. Lucan. lib. 2. bell. Ciu. & alijs, sed de eius fine ijdem tradunt, & clarè Naso 4. de Pont. dicens:*

Ille Iugurthino clarus, Cimbroque triumpho,

Quo Victrix toties Consule Roma fuit

In Cæno, & Marius iacuit, cannaque palustri

Pertulit, & tanto, multo pudenda viro.

Fuit & Ruffini miserabilis interitus, de quo scribit *Claud. lib. 2. in Ruff. fuit Cæsaris, Manil. loc. cit.* Nec non miserrimus finis Xersis, eiusque exercitus, vt scribit *Iuuenal. satyr. 10. de Xers. exerc. & omiffis alijs quampluribus, ita canente Ouid. loc. cit. 4. de Ponto, de Pompeio*

Quid fuerat Magno Maius?

Tamen ille rogauit

Submissa fugiens voce Clientis opem.

Hæc sunt Christiane Iudex, Reipublicæq; Reor vicissitudines fortunæ, fidem adhibe *Senec. in Thiest.*

Nemo tam Diuos habuit fouentes

Crastinum, ut posset sibi polliceri.

Et vt vulgò fertur:

Così diuide

Le vicende fortuna. Vn punto solo

Chiude il varco à i diletti, e l'apre al duolo.

8 Imò quod magis est, si quando costans apparet fortunæ flultrum, tunc maximè suspectum est, adè quòd, omnes cum secundæ res sunt, maximè tunc meditari secum oportet, quo pacto aduersam arumnam ferant, pericla, damna, exilia, vt aduertit *Terent. in Phorm.*

I

quod



quod etiam tradit Senec. in *Medea* ibi:

*Rapida fortuna, ac leuis,
Præceptaque Regno eripuit, & exilio dedit.
Confide Regnis, cum leuis magnas opes
Huc ferat, & illuc casus.*

Cupiditati nil certè tutum, tranquillum nihil, estq;
& Tacit. oraculum *Annal. lib. 5.* Breui momento cun-
cta verti posse: Assirij, Persæ, Græci, Romani, Con-
sules, Duces, Rectores, quid nunc, aut vbi sunt? abie-
runt; vbi cumulatae opes? defluerunt; vbi Cælo
certantia opera? non apparent, *Lips. cent. sing. ad Ital.
epist. 33.*

Ergò quid optandum foret, ignorasse fateris.

10 Ad rem *Iuuenal. satyr. 10.* siquidem parum fidæ
res est fortuna blandiens, in illo enim fastigio, ad
quos nos euexit, calamitatum nostrarum semina
exurgunt ipsa fœlicitate, si sit nimia ex se gignente, &
sibi accersente ruinæ suæ causas, simul parta, ac spera-
ta decora momento potest euertere, *Liu. l. 30.*

11 Nec præsertim fidendum Auræ, quæ popularis di-
citur, forsan spe ductis Iudicibus, & Rectoribus, pos-
se quid firmi cōtingere, populus dum arridet: *Apage.*

*Virtus repulsa nescia sordida
Intraminatis fulget honoribus,
Nec ponit, aut sumit secures
Arbitrio popularis aura.*

Monitum est *Venusini Vatis od. 2. lib. 3.* ex quo ut in-
quit *Sen. in Hyppolit.*

*Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit, atque odit.*

Qua-

Quarè exclamat in *Ostauia* dicens:

*O funestus multis Populi,
Dirusque fauor, qui cum flatu
Vela secundo ratis impleuit,
Vexitque procul languidus idem
Deserit alto, seuoque mari.*

Quod quippè, si verum est, quam fiduciam quæso,
posset habere Iudex, præsertim ad tempus; posset ha-
bere Reipublicæ Rector, auræ populari? Quid firmi
ex dignitate collata? Non mentitur *Senec. in Triest.*

Ima præmutet leuis ora summis.

Quem dies vidit veniens superbum,

Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Vt plurimum fundatur autoritas in simplici papyro,
in quo scribuntur patentes litteræ dignitatis iudica-
turæ, & officij, qui quidem, & potest à vento rapi,
itaùt in hoc verificetur præcipuè *Curtij dictum lib. 7.*
*Nil scilicèt tam firmum esse, cui non sit periculum etiã
ab inualido.* Vndè in multis videtur experimento in
dies, quòd si gaudent hodie honorum priuilegio sum-
mo, cras dolent eorundem ignominioso spolio, dum
verum, quod prospera, quantò magis delectabilia
sunt, tantò agunt, si mutantur, iuxta illud *Horat.
Flacc. lib. 1. epist. ad Fusc.*

*Quem res plus nimio delectauere secunda,
Mutata quatient.*

Quaproptèr opportunè monitum *4. de Pont.*

*Tu quoque fac timeas, & quæ tibi leta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse, puta.*

1 2

Quod



12 Quod idem docet Sapiens in prouerbio c. 27. ibi:
*Ne gloriaris in crastinum, ignorans, quid tibi superuen-
 tura pariet dies.* Homo, inquit *David.* in psalm. 143.
 vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra præte-
 reunt; & docet *D. Iacob.* cap. 4. annuens: *Quæ est vita
 vestra? Vapor ad modicum parens, & deinceps extermi-
 nabitur, nec mirum: nam vt testatur Chal. Condyl.*

*Solet plerumque Numen deprimere fastuosos,
 Et ad humilem fortunam deijcere.*

13 Speras ergò Christiane Iudex in pecunia? Obser-
 uas vanitatem, vt docet *D. August.* Speras in honore,
 & sublimitate? Potestatis humanæ obseruas vanita-
 tem? In his omnibus dum speras, aut tu expiras, & ea
 hic dimittis; aut cum viuis, omnia pereunt. Hoc vnum
 æquale inæqualitas habet: nempe in rebus omnibus
 mutationem: omnia enim facile in Orbem feruntur,
 atque in diuersum migrant, sibi que inuicem aduer-
 santur, vt ventis tutius, & litteris in aqua scriptis fi-
 des haberi posse videatur, quàm hominum fœlicitati,
Nazianz. orat. 27. Vndè *Taciti* sanè dictum 12. an-
 nal. In tuta aderte: siquidem

Sæpè feruentes Aquilo procellas

Verso concitat equore,

Rara si constant sua fortuna Mundo,

Si tantas variat vices,

Crede fortunis hominum caducis,

Bonis crede fugacibus.

Vt aduertit *Boetius* metro 1. lib. 1. Caue. Caue

Ogn' honore terreno,

Come

Come lampo risplende, e poi vien meno.

MONITVM X.

Minus fidendum Diuitijs, & Auro.

SVMMA RIVM.

- 1 *Prosperitati non credendum.*
- 2 *Quod tempore finit non æstimandum.*
- 3 *Errant, qui diuites vocant fœlices.*
- 4 *Fortuna dat fœlicitates, non quia diligit, sed vt de
gradu decidat.*
- 5 *Finis Cræsi refertur.*
- 6 *Diues non querit diuitias absque labore.*
- 7 *Vita hominis lusus.*
- 8 *Humane fœlicitates somnium.*
- 9 *Carmina referuntur Francisci Dannoli in Liricis
fol. 79.*

C A P. X.

1 **Q**ui prudens est, ac magnanimus, aurum ni-
 spernit, & diuitias, eis saltèm non fudit; Recto-
 rum ideò, ac Iudicum hæc quoque virtus erit:
 etenim quod tempore finit, magnanimi, & prudentis
 est floccipendere, non extrà rationem æstimare; qua-
 rè sanè monitum: *Prosperitati nemo credat;* nam quic-
 quid in altum fortuna tulit, ruitum leuat, *Bonon. in
 Chyr.*

Chyr. Achill. Præclara facies, magnæ diuitiæ, & alia huiusmodi, omnia breui dilabuntur, *Salust. Tugust.* nam iuxtà illud *Ouid. 3. de tristib.*

*Nempè dat, & quodcumque lubet fortuna,
rapitque*

Irus, & est subitò, qui modò Crassus erat.

Eucliones, & Philargyri dicuntur, qui auro, & opibus nimiùm fidunt. Plutonis execranda, & misera Mancipia: modica bona diuturna sunt, immodica citò labentia, Pitthacus Græcus aiebat: Aurum, & opes Crasum ad rogam, Mydiam ad extremam famem, Polykratem ad crucem perduxerunt, neminem gemma, & Indici maris conchæ effecere beatum, & ideò testante sic Bonom. loc. cit.

Fluxibile, ut nobis monstraret Iuppiter aurum,

Dùm se aurum fecit, se quoque fecit aquam.

2 Non ergò æstimandum, quod tempore finit, nec fiduciam vllam, aut superbiam potest ingerere, quod fluxum est, incertum, & instabile. Diuitiarum non datur vera possessio, vsus est, nec satis proprius, nec satis perpetuus, *S. Chrysof. in humil. 12. in 1. ad Thimot.* quisque si perueniat vsque ad summam ætatem, tamen breue spatium est, *Plaut. in capt.* etenim, vt canit *Venusin. 2. epist. ad Flor.*

Singula de nobis anni prædantur euntes.

3 *Eudæmones, foelices nempè diuites omnes appellant Græci apud Euripidem; Beatissimos prædicant Latini Reges Phrygum, & Lydorum auro, & opibus exundantes. Nec desunt, qui virtutem ipsam pecunijs post-*

posthabendam iudicant insanè; vndè non deest, qui scripserit:

*Et genus, & formam Regina pecunia donat,
Virtus post nummos, &c.*

Fortassè, quia, vt subdit *Flaccus:*

*Omnia pulchris
Diuitijs insunt.*

At id afferentes plusquàm palmaris dementauit error, siquidem non est collocanda spes in res mortales, dùm sunt caducæ, vt aduertit *Sillius Ital. lib. 7. bell. punic.* qui canit:

*Spes heu fallaces, oblitaque corda caducum
Mortali quodcumque datur.*

4 Fortuna dat multis opes, & foelicitates, non quod ipsos diligit, sed de gradu præstantiore, vt decidat. *Arist. 2. Rhetor. cap. 30.* & clarè liquet ex *Sapient. in Eccl. cap. 10.* ibi: *Vidi seruos in equos, & Principes ambulantes super Terram, quasi seruos.* Quis ergò sapiens bono confidit fragili? *Senec. in Hippol.* Miseras cohercendæ pecuniæ, *Seneca* sub Nerone expertus est, nec oneri portando fuit satis. Summus labor, & summa miseria iunguntur in congectione diuitiarum. Ad rem itaque *Plaut. in captiu.*

Odi ego aurum, multa multis sæpè sua fuit perperam.

Forfan, quia verum est, quod scribit *Tibull. eleg. 9. lib. 1.* quòd nempè:

Sæpè solent auro plura subesse mala.

Indè *Ouid. 1. Metamor.*

Effudiunt opes irritamenta Deorum,

Iam-

*Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius
Aurum.*

Vndè inquit *Cassidor. de dilect. Dei.* Diuitiarum possessio admodum incerta, instabilis, dubia, infirma est, nec diuitias esse vllus præstare potest. Quæ nobis fortuna largitur, detrahi, eripi, adimi, aut ferri mutari facile possunt.

5 Et quidem testante eodem Vate 4. de Ponte:
Diuitis audita est, cui non opulentia Crasi.
Quid indè?

Nempè tamen vitam captus ab hoste tulit.

6 Ad rem quippè scriptum, quòd diues non quærit diuitias absque labore, non tenet absque metu, nec deserit absque dolore. Crede, qui regis, ac iudicas cum lance, vbi plus ponderis, quòd caduca sunt, & fragilia, puerilibusque consentanea crepundijs, quæ vires, atque opes humanæ vocantur, *Valer. lib. 6. cap. ult.* Cuncta mortalium incerta, quando plus adeptus sis, tantò te magis in ludibrio censeas, *Tacit. 1. annal.* ità quòd ex *Viu. decis. 222.*

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ voluere ruunt.*

7 Ideòque dixit, & sapientissimè *Lips. lib. 2. differ. 1. ad sthoic. Philot.* vt pueri nuces, talos, trochos, affectant, atque æstimant; ità nos honores, opes; quid enim, nisi lusus? Et quidem opes non sunt stabiles, sed durant in diem, *Euripid. apud Plut. de consol. ad Apoll.*

Et non sai tu, ch' in questa Valle oscura

Di

*Di duol, chi li diè nome, e disse vita,
V olle dir vota d'ogni ben che dura.*

8 Nugæ Poetarum sunt minimè, licèt tradat Musa vulgari, non vulgaris tamen Vates *Anton. Capon. fol. 16.* Siquidem apertum est omnibus, humanas foelicitates esse somnos euanescentes. Apparente die, flores fuerunt Verni, vt inquit *S. Chrysof.* in vtroque Vere exacto marcuerunt. Vmbræ, & prætereunt, Bullæ, vt disrupatæ sunt, fumus, & solutæ sunt. Aranæ erant, & laceratæ sunt: nam re vera,

Mundus, opes, & forma cadens quid? ventus, & aura.

Diuitijs ergò non fidendum, haud bona sunt, bonum solùm id, in quo virtus, cui nihil deest, etiam Vulgo notum:

In un momento,

Quando stabil si crede, è un mare al vento.

MONITVM XI.

*Non indistinctè, omnibus, & semper, ac in cunctis
fidendum Hominibus.*

SVMMARIVM.

1 *Qui fidunt, sæpè falluntur.*

2 *Malitia Hominum maximè creuit.*

3 *Lupus est homo homini.*

K

4 *Plan-*



- 4 *Plauti dictum refertur.*
- 5 *Expenditur Tacit. in multis locis.*
- 6 *Hominum sententia fallax.*
- 7 *Consanguinei diuersis litibus se diuexant.*
- 8 *Amicitia recta in Mundo rara.*
- 9 *Fratrum beneuolentia tenuis.*
- 10 *Neces natorum etiam in parentes.*
- 11 *Prudens timet malum, quod vitare potest.*
- 12 *Rectores, & Iudices viuunt inter malos ut plurimum.*
- 13 *Cauendum ab eis.*
- 14 *Amici quomodo diligendi? declaratur.*
- 15 *Syrene dormientes occidunt.*
- 16 *Carmina referuntur Ant. Mar. Aguiola in Iud. fol. 56.*

C A P. XI.

Est quidem in re medica (Magistro Medicorum Iudice) Iudicium difficile. At illud magnoperè est difficiliùs de moribus, quàm de morbis: sanè namque Medicis non desunt signa, per quæ quasi per vestigia quædam abditas morborum causas consequantur; sed qua tandèm ratione, hominum, quibus probitatem ementiri mos est, latens in animis nequitia deprehendi possit? non video. Prauum namque cor hominis, & inescrutabile quis cognoscet? ut habetur in *Hier. cap. 17*. Ideòque cum prudentis sit discernere bona, & mala, & quæ sunt in vita sequenda, & fugienda, non abs re, hanc cautelam sub virtute prudentiæ tradendo,

do, nè scilicèt Christianus Iudex, Reipublicæque Rector passim indistinctè, semper, omnibus, & in cunctis fidet hominibus. Et cum referam, quæ ad rem excerpfi à multis, nequaquam laborat in hoc ingenium, ut Christianus Rector fallere discat; Sed falli, ut euitet, cautè agat, prudentèr confidat; non enim generalitèr puto dubiam propinquorù fidem; incerta omnium consilia, cunctorum amicorù mores. Absit: non me tætet, quod hominem imbecillitas cingit, non vnguium vis, non dentium terribilem cœteris fecit, nudum, & infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cœteris validissimum facerent, rationem, & societatem. Hanc tolle, & unitatem generis humani scindes, qua vita sustinetur, docuit me *Senec. de benef. lib. 4. cap. 18*. Hoc sub prudentiæ ramo puto, ni fallor, esse virtutem, cautè, ut nempè in fidendo procedatur, sintque in consideratione tempus, qualitas negotij, ac personarum, quibus fidendum; minimè ut sit abolenda fides in hominibus, sed ut timeatur ex parte quacumque posse falli, quod licitum videtur; experientia namque docuit, falli eos, qui fiunt, sicque hominibus fidere bonum, sed non fidere melius. Animaduersio *Seneca est epist. 11*. Ut antè sit circumspectandum, cum quibus edas, & bibas, quàm quod bibas, & edas. Homo est imbecillitatis exemplum, fortunæ ludus, inconstantia imago, inuidiæ, & calamitatis tutrina, reliquum verò pituita, & bilis, *Arist. relat. à Seneca de iud. lib. 2. c. 8. nu. 261*. proindè non dicitur extrà rem, quod qui nimis confidit, in-

cautus est, Ioseph. de bell. Iud. lib. 1. cap. 14. Tuta, quæ
suspecta, P. Famian. in histor. Flandriæ lib. 10. fol. 368.

- 2 Malitia quidem hominum, atque impietas maxi-
mè creuit. Vndè Ouid. 4. Trist.

Siuè locum specto, locus est inamabilis, & equo

Esse potest toto tristius ore nihil.

Siuè homines, vix sunt homines hoc nomine digni,

Quamquam lupi seua plus felicitatis habent.

- 3 Ad rem scribit Plaut. in Asinar. Lupus est homo
homini, non homo, cum qualis sit, non nouit; & Au-
son. in Pia Perenæi sentent.

Pernicies hominum, quæ maxima? solus homo alter.

- 4 At clariùs idem Plaut. in Trinum. dicens: Noui
ego hoc seculum moribus, quibus sit, Malus bonis ma-
lum esse vult, ut sit sui similis, turbant, miscent mores,
mali rapax, auarus, inuidus, sacrum, profanum, publi-
cum priuatim habent. Hiulca gens, hæc ego doleo, hæc
sunt, quæ excruceant. Hæc dies, noctesque tibi canto, ut
caueas, quod manu non queunt tangere, tantùm fas ha-
bent, quo manus abstineant, & secundùm Curt. lib. 6.
Homines leues, & instabiles sunt, & ex ancipiti muta-
tione temporum pendentes, tanquàm cum fortuna
fidem stare oporteat. Iure ergò inquit Manil. lib. 2.
Astron.

Perque tot ætates hominum, tot tempora, & annos,

Tot bella, & varios etiam sub pace labores,

Cum fortuna fidem quærat, vix inuenit vsquam.

At quanta est scelerum mores per secula cuncta.

Doctissimus sanè vir, ac Politicorum Princeps

Tacit.

Tacit. in diuersis locis *annal.* scripta probat, præfer-
tim dùm inquit:

Ille imagine pæcis in errore inductus est.

*Ille per summam otij dissimulationem Odium tuto
destinauit,*

*Hic specie recusantis antiqua de se hominum iudicia
odoratus.*

*Amici tanquàm viles abiecti, inanes opulenti, ac
pleni primo expressi, dein ad suspendium coacti.*

Corrupti largitionibus in Dominum serui.

Veneno armati in Patronos liberti.

Quibus deerant inimici, per amicos faciliùs oppressi.

Dissidentium in morem facinus occultatum.

Pietas scæleri prætensa.

Oratio plena dignitati expers fidei.

Inuidia in occulto, adulatio in aperto.

*Preces ore, lacrymæ simulandi autem vsque ad con-
uicium veritatis edoctæ.*

*Sollicitata in viris necem vxor, ad hanc apud Prin-
cipem scena criminis paratur.*

*Premisit ad lucra de industria facinorosi, moxque
veluti spongia expressi.*

*Iuncta palàm amicitia, ut amicum criminaturo pro-
nius credatur, &c.*

- 6 Nec mentitur Ouid. lib. 5. *fastor.* dùm inquit: Ho-
minum sententia fallax. Coram namque fides fragilis,
incerta, subdola, & incostans, ut inquit Dion. Prus.
Proindè vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in
omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis

Fra-

frater supplantans, supplantabit, & omnis amicus fraudolentè incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur; docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt, *Hyerm. 9. c. 5.* Nulli iactantiùs fidem suam obligant, quàm qui maximè violant, *P. Fimian. loc. cit. in princ. oper. fol. 3.* Vndè monet Epicarmus: *Sobrius esto, & memento nulli confidere.* Nolite confidere in filijs hominum, monet *Dauid psalm. 145.* & fœminas monendo, inquit *Tibullus:*

Sed iam nulla viro iuranti fœmina credat,

Nulla viri speret sermones esse fideles.

Et quidem opportunè: nam, vt docet *Sapiens in prouer. cap. 20.* *Multi vocantur misericordes, sed virum fidelem quis inueniet?* Sanè ergò ex Euripide dogma: *Non alia res utilior mortalibus, Sipienti diffidentia.* Valetque apud omnes *Cassianum* illud: *Cui bonum aliquod vertitur, in eum rectè collineet suspicantis animus.* Et vt veritas hæc magis appareat: Quid re vera firmum in hoc seculo? Si à communiter accidentibus, & quotidianis exemplis res perpendere velimus, verificatur illud *Virg. 4. aeneid.*

Nusquam tuta fides.

7 Et cum omnia variationibus, & corruptionibus sint obnoxia, videmus etiam, consanguineos in diem litibus inter se diuexare, insidiari mutuo, fraudare, à quibus non cauetur occidi, vel intercipi potiùs, quàm ab extraneis, à quibus cauetur.

8 Quid de amicitia? quid de amicis? Amicitia recta
non

non domibus tantùm, sed seculis rara, non alicubi tantùm deest, quàm vbi creditur abundare, *Senec. 6. de benef.* ita vt, non fabulante Poeta:

Illud amicitie sanctum, & venerabile nomen

Nunc est pro vili, sub pedibusquè iacet.

9 Imò plorandum est, quòd etiam fratrum tenuis est beneuolentia, vt probat *Sulmonensis Vates. 1. metamor. ex quo:*

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,

Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est. Ideòque monet, & sapientissimè *Lucan. lib. 1. de bell. civil.*

Nec gentibus ullis

Credite, &c.

Fraterno primi maduerunt sanguine Muri.

At ultra cum *Catullo:*

Postquam tellus scelere est imbuta nephando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Persuadere manus fraterno sanguine fratres
Destitit extinctos natus lugere parentes.

10 Ità quòd audeat canere *Manil. lib. 4. Astronom.*
Ecce Patrem nati perimunt, natosque parentes,
Mutaquè armati colunt in vulnera fratres.

11 Est nè ergò prudentis de facili, & ex abrupto, & imprudentè fidere hominibus? Time prudens Iudex, prudensque Rector. Nam profectò, qui timet malum, quod vitare potest, is non procul abest à salute. Seiano fidit *Tiberius*, vt qui non anxius sui vitam saluti posthabuerit Imperatoris, *Tacit. 4. Annal.* & tamen

an

an fidere potuisset? demonstravit euentus.

- 12 Præsertim plusquam alij cauti esse debent Iudices, Officiales, Reipublicæ Rectores, cæteri; qui præfunt. Viuunt enim plerumque inter malos, qui ex fraude, fallacijs, ac mendacijs constare toti videntur, *Cicer. Pro Rosc.* Palàm honesti animo perfidiosi, ac subdoli, *Tacit. 16. annal.* Insidiatores, & hostes demùm palàm fiunt, qui secretis criminationibus infament ignarum, & quo incautior decipere palàm laudatum, *Tacit. 1. histor.* Verumque experitur, quod *Seneca* scripsit *cons. 7. lib. 7.* non antè scilicèt Proditorem intelligas, quàm proditus sis; Imò fidem proferunt huiusmodi, vt maximè fallant. Vndè *Liui. l. 28.* ad rem inquit: *Fraus in paruis fidem sibi præstituit, vt cum opere premium sit, cum mecede magna fallat; & cum non ignorant, quod facillimè sustinetur fronte, & vultu simulatione;* vt notatur apud *Lentul. epist. 9.* multis simulationum inuolueris, tegitur, & quasi velis quibusdam ostenditur vniuscuiusque natura. Frons, oculi, vultus, per sepe mentiuntur, *Cicer. ad Q. fratrem epist. 1.* suntq; proditorum ingenia tortuosa, quæ semel infida, fidem nunquam inducere possunt, sed illam facilè vendunt, faciliùs cum fortuna mutant. Amici simulati dignitatis, & officij, inimici tamen personæ occulti. Ardet animus ad reprehendenda dicta, & facta. Vix satim apertum os, aut lingua prompta videtur, ex *Salust. ad Cesar.* Et quicquid Leonem proferant, iuxtà illud *Persij satyr. 8.*

Astutam rapido seruant sub pectore Vulpem.

Et

Et proindè, licèt amici sint hodiè; tamen cras, leuiori causa, hostes fiunt seueri; Adeò quòd, sapientèr exclamans, ait *Petr. Damin. opusc. 58. in prog.* *O fœlix, & deceptioni semper obnoxium, humanæ dignitatis fastigium.* Rectèque aiebat *Ottom. Cesar. ex Sueton.* *Nescitis amici, quid sit gubernare Imperium? mihi credite experto, qui iam mori malo, quàm imperare.*

- 13 Et quod magis est huiusmodi Vulpionibus non tantùm Iudices, & Rectores fidere non possunt, sed nec alij; etenim expertum est, quòd qui grati, aptique Aulæ esse volunt, eiurant probitatem, *Lips. in comm. C. Plin. paneg.* Vnde cum *Dauide* passim dicendum: *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.*

Si tamen in hoc, quid possit humana prudentia. Hoc congruum; non de facili fidere; sed exemplum sit Nauta, qui, quando mare est placidum, anchoris, funibus, alijsque necessarijs nauigantium instruit salutem, nec placiditati fidit, iam expertus pericula. Et ideo Frons aperta; Mens tecta; Lingua parca, *Causin. in maccin. polit. p. 1.*

- 14 Etiam hocque seruandum cum amicis, qui licèt sint magis necessarij, quàm ignis, & aqua, vt inquit *Adag. 75.* regula sit, ità diligēdos esse amicos, vt simus aliquando osuri. Itaque viuendum, vt nihil cōmittas, nisi quod committere etiam inimico possis, *Seneca epist. 3.* Diebus hisce nostris, vnum amicorum omnium officium, vna contentio, vt quis blandissimè fallat, *Senec. loc. cit. lib. 6. fol. 57.* Vera adeò rara, quod remeasse in Cælum, ex *Hesiodi Erigone* fatetur *Alciatus.* Sem-

L

per



per mobilis in voluntate mutatur; pendet ab humano arbitrio, quod est fallax. Maximè indè ea pars animi, qua fidem adhibemus, capi potest, *Plutarch. in prac. Reipublica perend.*

15 Syrenæ dormientes occidunt; aut Vlysses cauentes; & nulli expertū est, quòd tam facilis est deceptio, quàm vbi maior adhibetur fides. Estquè qui nequitèr humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo, *Ecclesiast. 19. d. 24.* Adeò quòd inquit *Plaut. in captiu.* cum ijs, qui cauet nè decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet; Proinde in securitate periculum. Vnde Vates:

16 *Così vaga Farfalla,
Mentre s'aggira al lume,
Oue crede gioire arde le piume.*

MONITVM XII.

*Cautè credendum, Turpe, vt qui Iudicant, ac Rempubli-
cam regunt, se in omnem Ventum euentilent.*

SVMMARIVM.

- 1 *Credulitas immatura mater erroris.*
- 2 *Non oportet omnibus, quæ dicuntur, adhibere fidem.*
- 3 *Credulitas, vt plurimum mali est apud Rectores.*
- 4 *Mecenas quid monebat Augustum, refertur.*
- 5 *Credere nulli, & omnibus vtrumque in vitio est.*
- 6 *Nullus delator fidelis.*
- 7 *Cauendum, ne ijs diffidere videatur.*

8 Re-

- 8 *Rectores redduntur tui, nil credendo, sed omnia cauendo.*
- 9 *Iudicibus non permissum in omnem ventum se ventilare.*
- 10 *Carmina incerti Poeta.*

C A P. XII.

1 **E**X prudentia promanet alia cautela, quæ etiam est sub virtute, ne scilicet Iudices præsertim, & qui Rempublicam regunt, sint faciles ad credendum; hoc siquidem sanè inter omnia vitia prudentiæ contraria, est vnum, quod primo loco cauendum est, vt monet *D. Bernard. ad Eugen. lib. 2. de confid. c. 13.* his verbis: *Est ò Eugeni vnum vitium, cuius si te sentis immunem, inter omnes, quos noui ex ijs, qui cathredas ascenderunt, sedebis, me Iudice, solitarius: idest facilitas credulitatis, cuius calidissime Vulpecula magnorum neminem comperi satis cauisse versutias, ex qua in ipsismet pro nihilo multæ nascuntur iræ; Inde Innocentium frequens addictio; inde præiudicia in absentes, &c.* Cautè ergò credendum est, *Lips. 4. polit. c. 10.* nè locum calumnijs, & odijs Regentes aperiant. Omne tenet longè à Republica infortunium cautela hæc: *Non facile credere; vel si vno verbo dicere licet, diffidentia.* Immatura credulitas est mater erroris, ipsaque est magna crudelitas, *Ammian. lib. 14. histor. cap. 10.* Proinde scribit *Xenoph. de Ped. Cir.* quod debent esse multi Regis oculi, multæ aures, aliàs si libentè audiat verba men-

L 2 da-



dacij, omnes Ministros habet impios, *In prouerb. c. 12.* quare ad bonum regimen taliter æqualitatem Magistratus seruare tenentur, vt nemini sint iniuri, *Claud. Cautiuus. de off. Iud. lib. 1. c. 3. in fin. & c. 4. per tot.*

2 Cauendum itaque est, & diffidendum, ita quòd nõ oportet omnibus, quæ dicuntur, adhibere fidem, sed acriter eam examinare, & discutere, *Dio. lib. 52.* Hoc est in omni genere rerum vtile, nemini quicquam temerè credere; sed cum aduersus socios, atque amicos narratur aliquid, res omnes prius discutere, quàm calumniæ fidem adhibere, *Polyb. hist. fol. 354.* & prout ait Seneca *lib. 2. de ira, Nil nisi, quod in oculos incurret, manifestumque erit, quis credat:* negari enim non potest, quòd credulitas error est magis, quàm culpa, & quamquàm in optimi cuiusque mentem facillime irrepit, *Tull. epist. 23. lib. 10.* Turpeque fit omnibus, & noxium labi, errare, decipi, *Idem in Philip.* vt plurimum tamèn mali credulitas apud Regentes facit, *Seneca loco cit. de ira.* Quos idè sanè hortatur *Ammian. loc. cit. dicens: Veritatem in omnibus, quæ ad ipsos deferuntur, diligenter inquirere debent, nec ad quamlibet suspicionem, rumusculum, calumnias, & falsas delationes, & accusationes, patulas, & auidas præbere aures, sicque verborum fucis, lenocinijs, aut præstigijs, tenebras sibi offundi non patiantur, sed aurem delato alteram, vel accusato integram semper reseruare, aliàs nemo innocens, si accusasse sat erit, Scoppa in Menex. de Republ. §. 8.*

3 Hinc est, quòd delatores habere, licèt optimum tradant

dant esse Politici: cum magna sit Regentium cautio, dum aiebat *Anthemius Imperator*, aduersantium animos cognouisse ex his, & hostem sensisse, partim superasse esse. Nihilominus animum nocendi præstat Perfido incauta fides, *Sen. in Oed.* maximè Iudicibus, alijsque Regentibus, siquidem, cum ea sit rerum humanarum caligo, vt multi specie veri decepti iniquam sententiam tulerint, (aduertit *Cicero in qq. Accad. lib. 4. & 2. de leg.*) tale sit auricularis tuæ sepius munimentum, vt Romanorum Iudicum more, qui etsi Reum criminis cõscium esse iurati cognouerant; eum tamèn non crimen admisisse, sed admisisse videri, modestè pronunciabant, nè manifesta quidem citra sudorem ingredi permittas. *Talis, inquit Cuiac. obseru. lib. 3. c. 26 sit custodia oris, vt si fortè aures, & animus cesserint, ipsum tamen expugnari se se nullo pacto sinat:* fieri enim potest, vt Iudex festinando peccatum committat irreparabile. Dubia idcirco suspendere, erit prudentiæ virtus, *Afflict. dec. 353. nu. 1.*

4 Quod, cum non esset Mœcenati opertum, scepissime, vt scribit *Dio*, Augustum Cæsarem monebat, ne omnia, quæ referuntur, facile crederet, sed diligentem adhiberet cautelam; & meritò, non enim permissum Iudicibus, accommodare aures primo. Deus duas constituit aures, vt vna pro Actore, altera pro Reo seruetur. In delationibus cunctis debent præbere aures, non tamen fidem: nam multi spe, aut odio vana referunt. Itaque non debent statim credere, & contra delatum procedere, nisi expediat, sed cuncta debent discuti,

discuti, & in deliberatione pronunciari, *Lucas de Penn. in l. vxor, C. de minor. Capibl. in rub. de Baron. nu. 102.* Multi litigant, non tam vt ipsi consequantur aliquid; sed vt alios vexent, atque molestant, *Isidor.* Estque pessimum humanarum mentium malum, quod semper auidius nefanda finguntur, & affirmationem sumit ex homine, quicquid non habet ex veritate, *Fab. in declam. De quo instructus Plaut. in capit. ita inquit:*

*Nunc, certum est, nulli post hæc quicquã credere,
Satis sum deceptus semel.*

Et refert *Tacit. annal. lib. 2.* Titum Patrem suum Imperatorem orantem, nè facile criminantium facibus accenderetur; Nec abs re, cum vtique sit verum, quòd immatura credulitas nouerca est consilij, ac inimica Iustitiæ. Vndè etiam *Vates 3. de art. inquit:*

*Nec citò credideris, quantum citò credere ladat,
Exemplum vobis non leue Procis erit.*

5 Verùm vtrumque in vitio est: & omnibus nempè credere, & nulli, *Senec. in epist.* Hæc quidem scite dicta, at non sine modo exercenda. Probum est Regentium Illud *Senecæ fatum in adipo.*

Dubia pro certis solent timere Reges.

6 Nec est inculpanda quorumcumque Officialium prudentia, si delictorum, & criminum habeant in Ciuitate exploratores; Sed hoc aduertant, quod scribit *Reinhardus Ronig. in Theatr. polit. p. 11. c. 25.* nempè quòd non ad hunc vsque diem compertum est, vllum delatorem fuisse fidelem.

7 Hoc ergò dogma Regentibus, ac Iudicibus, nè omnia,

nia, quæ referant eis, facile credant; sed diligentem adhibeant cautelam, ne festinando errent, at vultu hilari audiãt, dum magis nil hic cauendum, quàm nè diffidere videantur. Multi enim fallere docuerunt, dum timent falli, *Senec. epist. 3.* Vult sibi quisque credi, *Liu. 22.* Proinde opportunum non credere, sed simulatam ostendere credulitatem.

8 Sicquè Christianus Iudex, alijque Rectores cuncti hoc scuto se tutos reddant, quòd ad se nihil credendo, sed omnia nempè cauendo, *Cicer. in orat. post redd. in Senat.* Quod præsertim erit seruandum in his, quæ tãgunt iustitiæ administrationem quòd ad alios: non enim vulgò, vel cuiusque vanæ voci de facili credendum, *l. si dictum, ff. de euid. & c. certa ratione 2. qu. 6.*

9 Probantque hoc omnes ferè, dùm monent: Nè sint aures criminantibus faciles. Hoc Humanæ vitium naturæ suspectum est, notumque quodque inuiti audiuius, libentè credimus, & antequàm iudicemus, irascimur, *Seneca.* Verba Sufurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis, *Sap. in prou. 26. d. 22.* Idcirco, quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, *Ibid. dist. 25.* quia labia dolosa in corde, & corde locuti sunt, *Psal. 11. a. 3.* Non suscipias vocem mendacij, *Exod. c. 23.* Muni, ac sepi aures tuas spinis, Et linguam noli audire nequam, & ori tuo facito ostia, & fera auribus tuis, *Eccl. cap. 28. & alibi.* Non ventiles te in omnem ventum, nam qui citò credit, leuis est corde, *Sapiens in prouer. & Certè, quamdiù tacebis, monet Beat. Briffoth. sel. ant. c. 1.* tamdiù dubia erit

erit victoria, simulatque vocem credulitatis tuæ indicem miseris, & in hominem innocentem quippiam flatueris illicò alienæ, tuæque salutis vicerit, calumnia exultabit, *Senec. 2. de ir. c. 14.* Et Sículus ille insufur-rat, *Epich. Vigilia;* & Memor es, ne quid credas; Nerui hi sunt prudentiæ. Etiam in hoc Vulgatum illud Poetæ.

Noli tu quadam referenti credere semper.

Exigua est tribuenda fides, qui multa loquuntur.

Et vulgari Musa alibi:

Cauto chi presta fede, evita i mali.

Chi tosto crede di farfalla hà l'ali.

MONITVM XIII.

Nec Properè consulendum, nec deliberandum.

SVMMARIVM.

- 1 *Virtus est sub prudentia properè, nec consulere, nec deliberare.*
- 2 *Celeritas, & ira rectæ menti aduersa, & quare.*
- 3 *Sapientis est ex improviso non consulere, potior pars cõsiliij in tempore.*
- 4 *Tarditas consilij non semper laudanda.*
- 5 *Consilia aliquando capienda, aliquando rapienda.*
- 6 *Quando tardè consulendum, & quando celeritèr, explicatur.*
- 7 *Carmina Didaci de Tunica in cithara flebili fol. 14*
CAP.

C A P. XIII.

1 **E**X eadem prudētia fluit, vt Iudex Christianus, Reipublicęque Rector haud sit facilis ad determinandum, sed sumpto ad cogitandum spatio, multum res expendat, atque omnia circumspiciat, & consideret, iuxtà Sapiētis dictum in *prou. 4. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos,* cuius meminit *Scoppa in Menex. de Republ. §. 8. n. 48.* Quod quidem sanè, ac sapientissimè videtur traditum: nam circumspēctione plurima rectè fiunt, cupiditate pauca, *Tucid. l. 6.* Qui festinus est, pedibus offendit, *Prouerb. 9. 3.* Omnia subita probantur incauta, *Cassiodor. lib. 1. c. 17.* Consilia callida, & audacia, prima fronte læta, tractatu dura, & euentu tristia, *Tertull.* Cauta potiùs consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placent, *Tacit. 2. annal.* celeritèr deliberata peragenda sunt, deliberandum autem tardè, *Arist 6. Eth. c. 9.* Diu delibera, citò fac, *In prouerb.* Non omnia properanti clara, & certa sunt, festinatio improvida est, & cæca, *Liu. lib. 2. 2.* Scelera impetu, bona consilia, mora, valescunt, *Tac. 1. hist.* Vir idè ea ratione stet optimus, si in deliberando quidem cunctetur, & quic quid potest contingere, prætimeat, *Heriod. lib. 7.*

2 Duo sunt, vt inquit *Tucid. lib. 3.* aduersissima rectæ menti, celeritas nempe, & ira. Nilquè magni discriminis, & consilij, tam inimicum, quàm celeritas, *Liu. lib. 3. 1.* Prudentiæ simillima est negotiatio venationi, in

M

qua



qua Venator longa aberratione corporis prædam quærit, & prudens vir diuturna meritis consultatione debet agenda rimari, & exacta lustrare. Præterita recogitat prudens, memoria duce, præsentia librat cogitationis maturitate, & quicquid opportunum diudicat ad agendum, pensat attentè. Et ideo monitum est *D. Paul. ad Timoth. 1. c. 5. Nemini citò manum imponas, ne communices peccatis alienis.* Maiusquè in hoc versabitur discrimen, si non modò credent, sed illicò ad puniendum descendunt; quæ enim poterit res esse eadem festinata simul, & examinata? & est *Taciti dogma 5. annal.* Compositiùs cuncta, quàm festinatiùs agenda, & *histor. lib. 4.* Diuisa inter exercitum, Ducesque munia militibus cupidinem pugnandi conuenire. Cæterùm prouidendo, consultando, cunctatione sapiùs, quàm temeritate prodesse, cum re vera, ipso met testante *1 2. annal.* cautis potiùs, quàm acribus consilijs. Et audacia magna facinora patranda, non deliberanda, *Plutarch. Lacon. Apoph. fol. 206.*

3 Non ergò sapientis ex improviso, aut tumultuario consulere, *Seneca.* Potior consilij, & iudicij pars in tempore, & leuitas semper prudentiæ, & cautioni fuit inimica. Mentis examen consilij celeritatem non admittit, propterea rarò celeritè, & bene actum est; resque nulla, inquit *Apuleius*, festinata simul, & examinata rite est. Compositiùs, quàm festinatiùs agendum (erat quoque *Corbulonis* præceptum) eo indictum, quòd cæcam, & improvidam festinationem sequitur error, erroris penitentia infelicitatem. Quod ratio nequit,

scæpe

scæpe mora sanauit, *Seneca in agam. proinde iuxta illud Ouid. 3. fastor.*

Differ, habent parua commoda magna mora.

4 Habet tamen suam consilij celeritas, habet, & tarditas laudem; prudenter ergò, vt idem scribit *Ouid. 1. de tristib. & 1. eleg.*

Consilium nobis, resquè, locusquè dabunt.

Gerum est cauendi tempus in medijs malis, *Sen. in Thiest.* post factum, inutile consilium; de quo idem met *2. de Pont.* dum canit:

*Cum poteram recto transire Ceraunia velo;
Vt fera mutarem saxa, monendus eram,
Nunc mihi naufragio, quid prodest dicere fasto,
Qua mea debueram currere cymba via?*

5 Itaque consilia aliquando sunt capienda, quandoque verò rapienda, & prout res, ita rerum quærere tempora. Capienda sunt in arduis, cum deliberandi tempus superest, nè consilium præceps comitem habeat, vt inquit *Lucanan.* Vbi verò sint alitèr necessitate suasi, tunc caueant, vt monet *Tacit. 3. histor.* ne inutili cunctatione agendi, tempora deliberando consumant, sed subita sit, ac prompta deliberatio, ex quo nullus cunctationis locus est in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum; Nec cunctatione opus, vbi perniciosa sit quies, quàm temeritas, *ibid. lib. 1.*

6 In rebus ergò subitis, qui præest, non desit; In tardis, celeres habeat motus; Et in cæteris, solerti agat consilio; & nisi alitèr expediat, propere non deliberandum, ex quo subita, & improvisa facilè de statu mentis, aut

M 2

ratio-



rationis deijciunt, *Plut. de ira*. In hoc congruum, quod scribit *Seneca lib. 4. cent. 4*. Necessitas sit lex temporis, mediaque sub ire consilia sæpe docent extremorum pericula, expeditquè vt plurimum, eam ingredi viam, vnde minori cum incommodo ad vnum accedatur exeremum.

Cautela maxima, & dexteritate in arduis agendum est, *Iophocles* ipse docet, temporis opportunitatem optimam esse operis magistram, & licèt sit verum, quòd plerumque negant, aut vetant, temporis angustia, consilij celeritate assequendum est; quandoque expertum etiam est, quòd vulgò fertur: nempè quòd canis festinans cæcos catulos parit. Proinde scæpe expedita prudentia est opus, nihilque nimis enucleandū; sit celeritas, sed matura, ex qua nil imprudentè agatur. Promptè, inquit *Socrates*, sed diligentè est tractanda Respublica; vt plurimum qui in occasionis momento cunctatur paululum, de amissa conqueritur frustra opportunitate. Cauèdum tamen res ex inopinatis euentibus metiri, vt citò deliberetur. Hoc ergò opportunum, non desit celeritati integræ mentis examen. Ibi trahendæ sunt moræ, vbi hoc potest deficere. Et ibi tantum melior est in rebus gerendis protracta prouidentia, vbi potest esse actorum penitentia. Propterea Rector optimus, teste *Claud. de bello Getico*.

Non qui precipiti super omnia casu,

Sed qui maturo, vel lata, vel aspera rerum

Consilio momenta regens.

7 Adhibe igitur in deliberando maturitatem, matura celeri-

celeritatem prudentia, caue festinationem. Sanè dictū:

Sotto placede Stelle.

Dormono in seno all' Alghe etre procelle.

MONITVM XIV.

Præsentia non tantum, sed prospectanda Futura.

SVMMARIVM.

- 1 Prouidentia est vis subsidiaria humane prudentie.
- 2 Sapere est futura prospicere.
- 3 Prudentia prouidetur, & prouidetur.
- 4 Malum prouisum minus dolet.
- 5 Index, & Reipublice Rector in omnibus prudentè agere debet, & quare.
- 6 Prudentia diuinitio est, & ipsa operatur omnia.
- 7 Carmina equitis Marini.

C A P. XIV.

1 **H** Vmânæ prudentiæ subsidiaria quædam vis est Prouidentia, visque dicitur odora, qua etiam euentus longe remoti sagacitè præsentuntur, omnia namque sunt expectanda homini quamuis inopinata. *Dionis. Elicarnafs. lib. 2*. Ideòque, cum melius sit in tempore occurrere, quàm post exitum vindicare, *Scacc. de iudic. lib. 1. cap. 58. nu. 1*. Vitio sanè datum est, subsecuto euentu, qui prospici poterat, excusationem ostendere

dere, infano illo dicto: *Non Putaram.*

2 Istud idcirco est sapere, non quod pedes ante est videre, sed etiam illa, quæ sunt futura prospicere, *Terent. in Adolph.* Prudentes enim habent memoriam præteritorum, intelligentiam præsentium, & prouidentiam futurorum, *Affl. in sum. decis. post. nu. 7.* Hæc est sapientis tessera: Præmeditare cuncta; Et magni ingenij est præspicere, cogitatione futura, præuiaque meritis indagine constituere, quid contingere possit, vt tradit *Tullius.*

3 Rerum occasiones traditatem; & ignauiam non expectant, vt scribit *Demosth. orat. 1. contr. Philipp.* Propterea in cunctis prudentia opus, hac enim prouidetur, & præuidetur, adeo quod nec vult fallere, nec falli potest, *Lips. 1. polit. c. 7.*

4 Etiam si explorentur à longe aduersa ventura, vel non aduenient, vel Prudentia leuiora facit; quod accidit esto sinistrum, minus dolet. Incommodum ex inopinato superueniens alia sperantem omnia conturbat animum, quod verò accidit præmonitis, paratam ad se excipiendum rationem inuenit, leuiusque, ac tolerabilius mentem præmit, hoc illa præmeditatione consecutum, vt nouitate, & insolentia rei minime turbetur, *Petr. Poss. narrat. 3. fol. 65. vnde Ouid.*

Et præuisa minus ledere Thela solent.

Nil est igitur, quod ampliore curam postulat, quam cogitare, quid gerendum sit? ex quo incogitantes Sors, non consilium regit, adeo quod, teste *Auson. de ludo sept. Sapient.*

Si

Si quippe solus Rei gerendæ est efficax.

Meditatur omne, qui prius negotium.

5 Itaque Christianus Iudex, & Reipublicæ Rectores prudentè debent in omnibus agere; & quidem contiget eis, si fuerint intelligentes, Sapientes, ac Prouidentes; & est quod Rex David exoptat, dum ait: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent;* hoc est, saperent præterita, intelligerent præsentia, & futura prouiderent. Obnoxium est casui, & mutationi, quicquid ortus sui habuit initium. *Inest, inquit Tacit. rebus cunctis quidem, velut Orbis, vt quem admodum temporum vices, ita morum vertantur.* Verguntur ad interitum, quæcumque nata sunt, licet optima, excepto supremo Numine, quod genitum absque Natiuitatis initio, nullum contendit in finem. Hæc cogitanda, semperque mente voluenda, etiam in optimo Reipublicæ statu. Melius prudentia, & sanum consilium ea custodit, quæ eripienda metuit, quam quæ secura opinatur, ita vt finissima sit prudentia. Præuidere futura.

6 Talis virtus quodammodo diuinatio est, *Plutarch. in Pomp. art.* Ipsa operantur omnia, *D. Ambros. lib. 2. de benefic. c. 14.* monetque ad rem *Seneca epist. 24.* hisce verbis: *Quicquid fieri potest, quasi futurum cogitemus.*

Che spesso suol con preueder periglio.

Romper fortuna Rea cauto consiglio.

MONI-

UNIVERSIDAD
D SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

M O N I T V M XV.

Vigilantia Præsidio à Reſtoribus munienda Reſpublica, ſomnique diſcutiendus Torpor.

S V M M A R I V M.

- 1 *Vigilantia ſumma virtus in Reſtoribus Reipublica.*
- 2 *In cunctis vigilare debent, præſertim ut copia abundet.*
- 3 *Amor in commodum Reipublica tutum reddit Reſtorem.*
- 4 *Vigilantia duplex, utraque in Iudice, & Reſtore proſigua.*
- 5 *Plus vigilare, plus viuere eſt, cum ſomnus dicatur imago mortis.*
- 6 *Somnus nocet nimius, præſertim officia regentibus.*
- 7 *Labor, & ſomnus diſciplinis aduerſi, & refertur quo tempore, & per quot tempus dormiendum.*
- 8 *Carmina Innoſe Commendatoris.*

C A P. XV.

I Rudens ad Rempublicam præcipua ſollicitudine ſemper inuigilat, Torpor obliuionis diſcutiendus eſt, alias copiam euenire malorum, dum qui vigilare, & cauere debent, nè quis Reſpublica detrimenti caperet, ſomno turpitèr indulgent, communitèr

tèr tradunt *Politici*. Hinc eſt, quòd Chriſtiano Iudici, ac Reipublicæ Reſtori vigilantiam pono ſub virtute; torporem verò, & obliuionem ſub imprudentiæ vitio; Et quidem, qui vigilant in commodum ſubditorum, recte ſua adimplent officia; etiam Leo, cui animalium cæterorum Sceptum commiſſum eſt, aut parum dormit, aut ſi dormit, apertis oculis conſpicitur, exemplum Reipublicæ Reſtoris, qui ita nullo proprio debet confidere Imperio, ac eſſe tantopere de ſua dignitate ſecurus, vt neceſſarium non arbitretur vigilantem ſe fingere, etiam dum ſomnum capiat. Vt in bello, etiam ſi hoſtis abſit, ſemper excubiæ; ita vigilat Sapiens contra improuiſum omnem iſtum, *Lipſ. cent. 1. epiſt. 26.* Cælo ſereno, & Mari quieto minor cura, aut inſiſtitio de Gubernatore eſt, quiuis ſufficit; ſed turbato hoc, & illo, virum nauis quærit veterem clauis, & peritum. Virus eſt lethale exitum afferens rebus publicis torpor, nec vllò curatur antidodo: ſomno locus eſt in Aula, ſed cuiuſmodi ſit iſte ſomnus? hæud facile intelligitur, niſi ab his, qui norint, quàm aulico ad res magnas adſpiranti noxia ſit ſtrepens illa, & importuna vigilantia, induſtriaquè, præ qua cæterorum ſtudium habetur pro inertia. Certè Seianus actu ocioſiſſimus, animo ex ſomnis, *L. Piſo*, quo nemo aut validius ocium dilexit, aut facilius ſuffecit negotio, *Salluſtius Criſpus*, cui ſuberat vigor animi ingentibus negotijs par, & acrior, quo ſomnum, & inertiam magis oſtentabat, vt ex *Vell. lib. 2.* & *Tacit. 3. Annal.* ſatis aperiunt, ſeque ipſos, corpore ſemiſomnes, animo

N autem



autem ex omnes, exempla proponunt. Et Epaminondas, qui interrogatus in publica civium lætitia, cur mœnia obiret, & nunquam quiesceret? respondit: *Se sollicitum esse, ut civium lætitia posset esse secura.* Illustrem hunc virum spectare debent Rectores, nec non Homericum Agamenonem, de quo scribitur.

Cæteri quidem apud Naues Princeps omnium Archiuorum.

Dormiebant per noctes mollidomiti somno.

Verum non Astridem Agamenonem Pastorem Populorum,

Somnus tenebat dulcis multa animo voluentem.

- 2 Idcirco debent in cunctis vigilare, at præsertim, ut Vrbi annona non desit, victualiumque copia abundet, nil enim statui calamitosius, nil miserius esse potest, si Urbium fortunas nemo sit, qui vel augeat, vel procuret, vnde penuria, civiumque fames. Hanc dixi in *tractatu de Officialibus*, extremum esse malorum, & præuiribus inuigilare debent, qui præsumunt, ut præsto sint. Magnipenduntur utique Rectores illi, quos celebrat fama cautos in Regimine, solerterque prudētes; quiescit Imperium, & augetur, ubi non imminuitur Regētis affectus, ubi iugi motu providæ mentis agitur acies: Nec vlla Respublica, Arx nulla, Castrumue satis munitum est, nisi Gubernatium excubet solertia. Rectore sistente vigilantissimo, & integerrimo, fidelis Civitas, & Respublica, extat, & iusta; Et cum vigilant, qui Reipublicæ clavo affident, stipatoribus non egent, qui vel eorum somnum, vel Rempublicam muniant

noctur-

nocturnis excubijs, cum testante Poeta:

Non sic excubiæ, non circumstantia thela; quam tutatur Amor.

- 3 Qui amor, cum Claudiano, intelligendus est Patriæ, qui semper vigilat in eiusdem commoda. Propterea vigilantia instruendi sunt omnes, ad quos spectat Imperium, ad quam hortatur etiam *Liu. lib. 22.* dum inquit: *Armatus, intentusque sis, ut neque tue occasioni desis, neque suam hosti des, quam spreueris, valentiosem negligentia faciat.* Idem *lib. 25.* In studium ergo iustitiæ omnis cura, & agitationes omnes, labores, atque vigilia, omnia denique studia consumanda, hocque proprium Regentis, *Off. lib. 4. de regim. Instit.* nam teste *Salustio*, Vigilando, agendo, & bene consulendo cedunt omnia prosperè.

- 4 Imò Vigilantia non solum esse debet illa, quæ ponitur sub Providentiæ, siue sub Prudentiæ ramo; sed alia, qua, per somnum illatam segnitiam auersamur; Hanc enim, nemo ignorat, ad omnia esse salutarem; vnde dicitur:

Sanat, sanificat, dicit te surgere mane.

- 5 Qui dormiunt libentè sine lucro sunt, & cum malo quiescunt, quare monitum est in sacris litteris: *Noli diligere somnum, ne egestas te opprimat.* Plus vigilare, Plus vivere est, dum nihil tam mortis simile, quam dormientis aspectus, adeò quòd frequens est apud Poetas, mortis fratrem appellare somnum, & oportune *Ouid. 2. eleg.*

Sulte, quid est somnus, gelida nisi mortis Imago?

N 2

Et

UNIVERSIDAD
D SALAMANCA

Et Sen. in Ercul. furent.

Volucer matris Genus Astrea,

Frater dura languida mortis.

6 Clariusque *Moralis cap. 22.* ibi: Nil morti tam simile, quam somnus. Et scribit *Plat. lib. 7. de leg.* Somnū moltum nec corporibus, nec animis, neque rebus gerendis natura conduci. In dormiente licet superstes sit corporis, & animę nexus; torpet tamē vis, & facultas agendi, quę homini indita est viuenti, & maximē non bonus est homini de prandio, vt aduertit *Plaut. in Mustell.* ex quo per somnum immodicum homo viuifico destituitur spiritum nettare, riget, corrugatur, egriusque vitales resumit operationes, tum coaceruantur prauī humores ex nimia per somnum inducta coctione. Indulgendum est propterea somno quantum opus est ad vitam, vitęque incolumnitatem, reliquum malum est, Iudicibus præsertim, & Reipublicę Recto-ribus, quos vigilare vtique decet, vt possint suo tempore conficere officia, *Plaut. in Rud.* Proinde ab *Homero* missa sunt carmina, quibus suadet, neque somno indulgere, neque altum stertere, post quam ipsis Reipublicę gerendę cura commissa est.

Non decet ignauum tota producere somnum,

Nocte virum, sub consilio, sub nomine cuius

Tot populi degunt, cui rerum cura, fidesque

Credita Summarum &c.

Et *Ouid. lib. 2. elegiar.*

Infelix tota quicumque quiescere nocte

Substinet, & somnos premia magna vocat.

Ex

Ex quo, vt scribit *Silius Italicus, lib. 3. de bell. Civil.*
Turpe est

Totam somno consumere noctem.

Testeque *Homero Iliade 1:*

Solidam dormire noctem, non decet.

7 Præterquā quod labor, & somnus disciplinis aduersi sunt valdē, *Plato de Repub. lib. 7.* Vnde sanē dictū ex *Zacch. de salar. qu. 52. nu. 33.*

Non iacet in molli veneranda scientia lecto,

Illa sed assiduis parta labore venit.

Nec est opertum Iuris prudentibus, quod vigilantibus, & non dormientibus Iura subueniunt. *Demostenem* plus olei, quā vini expendisse dicitur, & omnes artifices nocturnis semper vigilijs peruenisse. Vnde hoc opportunē monitū: *Vigila cum nocturnis auibus, nox sibi pandat aspectus; & sicut illę reperiunt in obscuris cibum, ita tu possis inuenire præconium, Cassiod. lib. 7. for. m. 8.* *Apollonius* dicebat: Oporterē rectē philosophantes, adueniente aurora, cum Deo versari, præcedēte die, de Deo loqui, reliquum tempus humanis rebus, & sermonibus dare, vt refert *Philostat. lib. 1. cap. 12. vit. Apoll.* vndē carmina.

Sex horas somno, totidemque da rebus agendis,

Quatuor orabis, des epulisque duas,

Quod superest inde sacris largire cæmenis,

Et dabitur tempus nullum inane tibi.

Qui talitē dormiunt, somnum habent recreatorē corporum, reintegratorē virium, probatorē valedudinum, pacatorē operum, medicum laborum, cui

fouendo dies cedit. Nox legem facit auferens rerum etiam caborem, *Tertull. cap. 43. de anim.* Indulgendum ergò somno, quantum opus est ad vitam, vitæque incolumitatem, vt dictum est. Vigilandum insuper in subditorum commodum cuncta prouidendo, ac præuidendo, ac torporem nimij discutiendo somni. Negligentia delictum est, sufficiens quandoque, vt negligentes priuentur officijs, & dignitatibus, vt latius dixi in tract. de Officialibus, cap. 53. omnia debent, qui præ sunt prudentia circumspicere, in cunctis vigilare, omnia à longinguo prouidere, *Auth. libri de 4. virt.* Etiam in optimo Reipublicæ statu nil firmum à Rectore sperandum: obnoxium mutationi quidquid ortus sui habuit initium: sicque vigilantia munienda Respublica: nam teste Vate:

*Prode è il Nocchier, ch'il legno
Salua trà fiera Aquilonar tempesta,
Ma d'equal lode è degno,
Quel che al placido mar fede non presta,
Et dell'aura infedele
Scema la turpidezza in scarze vele.*

MONITVM XVI.

*Secretum Principis, & Reipublicæ custodiendum;
Imò nec vultu quidem prodenda arcana.*

SVMMARIVM:

I Prudentis etiam erit custodire secreta.

2 Qui

- 2** Qui secreta prodit, non est fidelis.
- 3** In humanis nil silentio optabilius.
- 4** Ex garrula lingua inciditur in odium illius, cuius arcana loquuntur.
- 5** Qui secreta produnt Reipublicæ, non sunt impunes.
- 6** Dicuntur proditores.
- 7** Non laudandus, qui tacere nequit, & quare fœminæ à Iudicandi munere &c. refertur.
- 8** Domini est custodire linguam.
- 9** Monita diuersorum referuntur ad tegenda arcana.
- 10** Vultu sepe proditur, quod tacetur.
- 11** Cauendum prodere, nec vultu arcana.
- 12** Phocionis Institutum.
- 13** Carmina Fulu. Test.

C A P. XVI.

I N Il exitialiùs Ciuitati, nil Reipublicæ perniciosius, quàm cum ea, quæ secreta esse oportet, quibus minime debetur, produntur, vt eruditè notat *Scoppa in menex. de Republ. §. 10. n. 57.* Ideòque Christiano Iudici, ac Reipublicæ Rectori, hæc & alia erit congrua virtus sub prudentia, vt arcana custodiant. Res magnæ substineri non possunt ab eo, cui tacere est graue, *Q. Curt. lib. 4.* Hoc vnum probat, teste *Polybio*, in rebus grauioribus prudentiam, opportunum nēpe silentium, idque est quod monet *Tac. 4. annal.* dicens: *Tàm nescire quedam, quàm scire Senatores oportet.* Taciturnitas optimum, atque tutissimum rerum administran-

nistrandarum vinculum, *Valer. lib. 2. c. 2.* Tempestivum silentium, res sapientissima est in Senatore, & qui pro temporis, rerum, & locorum opportunitate silere nescit, male adscribitur consilijs: Ij bene gubernant, quibus inest, & magistra taciturnitas, & eruditi forma silentij, *Ennodius in Parenes.* Parum esset in Senatu rectè deliberasse, nisi silentio obsignarentur deliberationis arcana, & ad hoc Senatus Romana Consulta vocabantur tacita. Anima consilij, cunctarumque Regentis actionum, secretum est, & nulla sunt meliora consilia, quàm quæ ignoraverit aduersarius, antequàm fierent, *Veget. lib. 3.* Si in omni vita, ac humana societate maxime sit necessarium, tacere non dicenda, multo magis in Foro, in Curia, in Senatu, ubi Principum negotia aguntur, ubi Leges, Iura, Consilia, Iustitiæ omnis administratio versatur, ubi publicè tota salutis causa agitur, *Arist. apud Laert. lib. 1. c. 1.* & Ideò monet *Liu. lib. 23. fol. 397.* Si quid umquam arcani ad silentium in Curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occultandum, obliuiscendum, pro non dicto habendū esse.

Qui enim arcana loquitur, fidelis esse non potest. Fides namque Sanctissimum humani pectoris bonū nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio, *Vre, inquit, cede, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius cōdam, Seneca epist. 88. & Trag. in Oedip.*

*Fatere ne te cogat ad verum dolor,
Prohibet fides.*

Et

Et clariùs *Terentius in Andr.* dum inquit:

*Nil istac opus est ad hanc rem, quam paro,
Sed his, quam semper intellexi fitas,
Fide, & Taciturnitate.*

3 Hinc est, quòd in humanis rebus silentio nil esse optabiliùs, scripsit *Cæc. Calcag.* Siquidem loqui ignorabit, qui tacere nesciet, *Auson. in Piët. sent.* Vir prudens secreta non prodit, tacenda tacet, & loquenda loquitur. Fari necessaria, aptè respondere, modestè disceptare, sunt sanè loquentis officia, *Senec. lib. 4. de virt.* Turpe tacenda loqui; sicut aqua profunda, sic cōsiliū in corde viri, *Sap. in proverb. c. 20.* Tacens, qui inuenitur, sapiens est, *Ecc. 20.* Pompeius vir non solum armis, sed Senatoria fama inclitus, cum Legationis officio fungeretur, apud Pontium Regem, ex sola taciturnitate prudentissimi nomen accepit. Rhetores ipsi, quibus incumbit loquendi onus, prudentes iudicantur, si sciant quandoque tacere. Dogma est communiter receptum: stultum tacere non posse, *Diog. Laert. de vit. Phil.* Sapiens, qui est, scit tempus loquendi, & tempus tacendi, *Ecclesiast. 3. 67.* habetque cor altum, id est cor secretum, *S. August. Psam. 63. vers. 7.*

4 Plerumque clades, excidia, omniaque mala ex garrulitate linguæ eueniunt, quæ silentij disciplina evitari facile possent, ut refert *Seripanius*; sed præsertim incidit garrulus in odium illius, qui arcanum commisit; Vnde *Iuuenal. Satyr. 9.*

*Hæc soli commissa tibi, celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige quarelas,*

O

Nam



*Nam res mortifera est, inimicus punice leuis;
Qui modo secretum commiserat, ardet, & odit.*

Præter quàm quòd huiusmodi homines iniqui sunt, improbi, & fraudulentos: solùm enim, qui fraudulentè ambulat, reuelat arcana, qui autem fidelis est, celat amici commissum, *Pellegrin. pro cri. p. 4. sect. 9. nu. 21.* & ut inquit Comicus Cræcus *Anassander.*

*Commissa tui sunt verba, seu depositum,
Si etegit est iniquus, aut garrulus,
Si spe lucri est iniquus, hæc sine, garrulus.
Censendus autem uterque pariter improbus.*

5 Qualitas tamen hæc inter cæteras maxime est Officialibus profigua, etiam ex quo si secretum non seruant, non sunt impunes, debent enim habere tecta, & velata Arcana Principis, Senatus, siue Reipublicæ, ne Iudicia his proditis corrumpantur, & Iustitia ruat, *l. quicumque 16. C. de oper. pub. ibi: Nam Imperio magna ab Vniuersis secreta debentur, & aduertunt Simanc. de Republica lib. 7. c. 13. & 14. Bellug. in spec. Princ. rub. 10. nu. 5.* adeo quòd Consiliarius, qui reuelat secreta, debet à Consilio remoueri, *Bald. de pac. const. in ver. credentia, ac cum eo Scoppa in Menexen. de Republ. §. 10. nu. 60.* & in hoc Regno Neapolis adest *Pragm. quæ est unc. de pæna reuel. & latè ego ipse part. 3. de delict. Official. & l. si quis ff. de pæn. habetur, ut igne viui cremantur, & quod Persæ arcana Regni periculo vitæ custodiri sanxerunt, scribit Amismian. hist. lib. 12.*

6 Imò, cum seruus debeat habere in pectore voluntatem Domini sui, *Plaut. in Pers.* dicitur proditor, &

fab

falsarius, qui reuelat secreta Domini, & per consequens Patriæ. Nec mirum, nam utique proditor est, qui suis ostendit vnum velle facere, & tamen occultè aliud facit, *l. omne delictum, §. exploratores, de re milit. cum concordantibus, de quibus per Alex. cons. 13. num. 8. vol. 6. Decian. respons. 48. nu. 25. Anna allegat. 65. nu. 24. & Scoppa cit. §. 10. nu. 60.*

7 Et re vera, quem latet, quàm sit necesse, nec sua, nec suorum Superiorum secreta pandere? Quem tacere nequit non conuenit laus à Theodorico ad Senarium, scripta apud *Cassiodorum*: Nempè arcana nostra pro morum probitate claudebas, multorum conscius, nec tamen cum plura nosces elatus. Abditos Principis sensus, *Tacit. 3. annal.* proinde inquit *S. Ambrog. præf. in psalm. O validum scutum circumspicte monitionis silentium! O fidißimum stabilitatis fundamentum!*

Hinc non aliam ob causam arcentur à munere Iudicandi fœminæ, nisi quia arcana celare non valent, ut suffultus aliorum dictis notat *D. Petr. rit. M. C. 3. nu. 6.* & post eum *Scoppa loc. cit. nu. 63.* Quis enim muliebri garrulitati aliquid committat, quæ illud solùm potest tacere, quod nescit? *Valer. in epist. ad Rufum;* qui ipsis aliquid committit, idem agit, ac si omnibus in foro denuncient more præconum, *Mastrill. de Magistr. lib. 2. cap. 4. num. 19.* quare non tantùm Reipublicæ, sed ipsis mulieribus, vtile, & honestum est, ut ab officijs se obtineant, ut idem *nu. 22.* Cum sit præcipuum, ut qui iudicant, & regunt, sint secreti. *Ibid. lib.*

O

2

2. c. 3.



2.c.3.num.116. Quod etiam tradit Vates Sulmonensis lib. 2. de art. dum canit :

*Exigua est virtus præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa tacenda loqui.*

8 Sed ut habetur in Eccl. c. 22. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea sigillum sapientiae, ut lingua mea non perdet me?*

Quamuis dixerit Sulmonensis Vates 2. elegi.

Quis minor est autem, quam tacuisse labor?

Nugæ Poetarum sunt hæc: nam silentium inquit Pittagoras, esse omnium, quæ ad frenandos animorum impetus, & domandos pertinent difficillimum; & numquam certè melius fuisse locutum, obseruat Iamblic. in vit. Pittag. Imo Arit. interrogatus quid nam esset homini difficilius? respondit: *tacere, quæ dicenda non sunt, Laer. lib. 7. c. 1.* Ita ut dicat, Socrates ex eodem, quòd facilius contineri potest carbo ignitus, quàm secretus sermo in lingua. Domini est enim custodire linguam; Idcirco orandum cum David. Psalm. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.*

9 Verùm, si possent in humanis suppetias præstare præcepta, multi hoc aduertunt, præsertim, Senec. in Hippol. ibi: *Alium silere, quod voles, ipse sile.* Et quo ut testatur Horat. 1. epist. ad Quint.

Nec retulent petulæ commissæ fideliter aures. Et Veget inquit lib. 3. fieri, quod debeas cum multis tracta, quid factururus sit cū paucissimis, vel potius ipse tecū.

Nec fidus inter amicos

Sit

Sit qui dicta foras eliminat.

Principis exquirere arcana, illicitum, anceps, nec ideò assequere, Tacit. 3. annal. arcanum commissum pandere, non tantum nephas, sed periculosum. Serua ergò commissum, decet S. Bernard. de humil. expecta promissum, caue prohibitum; & Terent. in Eunuch. Tu pol si sapias, quod scis, nescias, & in Hæc aut. Nescias quod scis, si sapias. Hæc fuit lex lata Senatoribus tempore Romanorum: *In Senatu gesta, dicta, iudicata, eterno silentio tegunto, Tull. lib. de leg.* Eratque lex, & Egyptia. Nesciat Senatum, qui tacere nescit; & Iubebat abscindi linguam eius, qui arcana reuelasset, Nicolin. pra. crim. n. 561. in nouis. Nec dissimile est, quod monet Miche. Proph. 7. *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce ab ea, quæ dormit in sinu tuo; custodi claustra oris tui, quia filius facit contumeliam Patri, & Filia confurgit aduersus Matrem suam; etiam vulgò fertur:*

Seruitù non sarrà di fede ignuda,

Se l'orecchio che sente, il petto chiuda.

Verùm aduertendum est, quòd sollicitis inquisitoribus sæpe proditur vultu, quod, & ore taceretur, ut obseruat Cassiodor. in epist. Vnde sent. in Agamenon.

Quid tacita veritas.

Licet ipsa fileas, totus in vultu est dolor.

Et in Thiest.

Multa sed trepidus solet

Detegere vultus, Magna volentem quoque

Consilia produnt.

Nam



Nam vt inquit Tibullus:

Difficile est tristi fingere mente iocum.

Et Cornelius Gallus:

Certe difficile est abscondere pectore estus

Panditur, & clauso sepius ore furor.

Cauti proinde debent esse Iudices, & Rectores, non flendo in aduersis, nam flentes oculi cordis fatentur arcana. *Grec. in Medico fiscali fol. 49.* Non ridendo in rebus prosperis; Fatuus enim in risu exaltat vocem suam, *Sapiens in Eccl.* Neque in risum nimium profusos esse, monet *Plat. 3. de Republ. c. 18.* Parum enim refert, quod sit Rector secretus, si dici posset: *Vultus te accusat, Caue Phorion.* doceat, qui numquam, vel flere visus fuerit, vel ridere, & interroganti cuidam, cur semper cogitabundus, & nil unquam loquens videretur? ait: *Delibero an aliquid imputare possim de verbis, que sum ad Populum factururus, Petr. rit. 3. & Vates.*

Mutar vicende, & voglie

D'instabile fortuna, è stabil arte.

Ma quanto sa si cange

Saggio cor poco ride, e poco piange.

MONITVM XVII.

Nullum sit Adulantium obsequium, precipue seruorum.

SVMMARIVM:

1 Adulator qui dicatur.

2 Adu-

- 2 Adulantium obsequio ingens malum Reipublice oritur.
- 3 Adulatores specie iucunditatis venenum infundunt.
- 4 Claudenda aures integra malis vocibus.
- 5 Adulare malum est.
- 6 Adulari pessimum est.
- 7 Imperantium beata mens, que non adulatur, nec adulantibus credit, & quare.
- 8 Male ceteris dominatur, qui assentatione diuincitur.
- 9 Cauendum maxime a seruis adulatoribus.
- 10 Nec Nero habuit infra seruos ingenium.
- 11 Serui debent non tantum oculos, & manus, sed verba habere domita.
- 12 Natura serui Dominorum Hostes.
- 13 Carmina Franc. Donno.

C A P. XVII.

1 **C**Or prauum, peruersum hominem, verutum, ac specie veri fallentem, procul non habere Regentes, misera plane conditio est: Cum ideò prudentis sit discernere bona, & mala, & que sint in vita sequenda, & fugienda. Virtus utique erit Christiani Iudicis, & Reipublice Rectoris, si nullus sit penes eos adulantium obsequium, & Adulatores foscipendendo non curent. Est enim his Adulator, qui res nostras admirari, & amare simulat, *Arist. 1. Rethor.* Unde *Moron. in Aula Dauidica c. 24.* Videri Adulatorem suis coloribus depictum: nempè Adulator id maxime



xime studet, vt compendij sui gratia, illos, apud quos se se infinuauit, & quorum lateri adhærescit amicitia, & veritatis specie delinquent.

- 2 Sed ingens quidem malum illi imminet Reipublicæ, in qua præualet apud Moderatores adulantium obsequium, vt aduertit *Plut.* habent enim hoc naturale blanditiæ, etiam dum reijciuntur placent, *Sen. in pref. qq. natural. lib. 4.* Inde non oblectant dumtaxat audientes mellitiæ adulatorum voces, sed etiam sibi constantem mentem infringunt, dum *Iuuen. teste:*

Nil est quod credere de se

Non possit, cum laudetur Dij æque potestas.

- 3 Quamobrem huiusmodi adultores specie iucunditatis venenum infundunt. Vnde *Arist. lib. 13. Reët.* ait: quod speciem habet diligentis Adulator, & *Sen. epist. 45. Adulatio, quàm similis est amicitia.* Non imitatur tantum illam, sed vincit, & præterit apertis, & propitijs auribus recipitur, & in præcordia ima descendit eo ipso gratiosa lædit. Omnia enim Adulatoribus honeste laudare mos est, *Tacit. 3. Annal.* ex quo adulatio blandè omnibus applaudit, omnibus salue dicit, prodigos vocat liberales; auaros, parcos, & sapientes; obstinatos, costantes, pigros, matrosos, & graues.

Hæc saggitta leuitèr volat, & citò infingitur, inde hi dum placida loquuntur, rem suam quærunt, Regem dehonestant, & dum iusta illud, *Nas. 2. eleg.*

Impia sub dulci venena latent.

Verificatur illud *Vopis. in Aurel. nempè.*

Bonus, lautus, optimus venditur Imperator.

Si

Siquidem verum est, quòd plus nocet linguam adulatoris, quàm manus interfectoris, *Caball. de homic. m. 465.* Hoc nomine Scyllæ comparatur, cui à capite ad ilia vsque species Virginis tribuitur, cæterum à femore, quod reliquum est, in horrendos canes descendit, *Meron. loc. cit. c. 24.* Sed miseram planè Imperantium conditionem, quorum scilicèt opes non tantum, at mentes, canes isti deuorare solent, quod apertum tunc fuit Alexandro, quando nouit dicens: *Vlnus istud iam clamat me esse hominem, quamuis me iurant omnes Filium Iouis, ex Seneca.*

- 4 Debet ideò adulationis turpitude à Iudicibus, & Rectoribus agnosci, vt eam summopere detestentur: etenim adulatio quamuis perniciosi sit, nocere tamen nulli potest, nisi ei, qui eam recipit, ac delectatur, *Cicer. in Lelium.* Ideòque claudendæ sunt aures integræ malis vocibus, vt *Seneca* monet; Nec sit promptum in adulationes Senatorum ingenium, vt præcipit *Tac. in annal.* Nulla enim pestis maior, quàm adulatio, & assentatio, *Cicer. loc. cit.* Inter færas Tyrannus, inter mansueta Adulator, *Bion. Boristen. Athen. Philos. interrogatus,* quod animal esset inter cœtera perniciosius? Respondit, *Adulator.* Adeò quòd Adulatori quærenti cur cederet? dixit Sigismundus Cæsar, *Cur me mordis Adulator?* Salus illius mihi desperata est, inquit *Q. Curt. 5. histor.* cuius aures ita formatæ sunt, vt aspera, quæ utilia, & nihil, nisi iucundum, & læsurum accipiant.

- 5 Non desunt tamen, qui scripsere, imò, & vulgò fer-

P

tur



tur, quòd qui adulare nescit, aut inuidus, aut superbus putatur, *Hyer. à Calenzia epist. 14.* Sed caue Christiane Iudex. Caue Christiane Rector, vt tradit *Cicer. ad Q. epist. 1. lib. 1.* Vulgare namque *Taciti* est dogma, *Pessimum Inimicorum genus esse laudantes.* Adulare siquidem malum est: ex quo, qui blanditur, fictisque sermonibus loquitur, retes expandit proximo suo; inde sanè adulator, qui alienum vitium laudat, grauiori supplicio obnoxius est, quàm is, qui flagitiosè viuuit: nam qui vitium laudat, hominem eodem vitio laborantem, medicina, quæ ex pœnitentia petitur, priuat, *D. Chrysost. orat. in Saul.* vnde est *Eccl.* monitum c. 11. *Ne laudaueris hominem in vita sua.*

6 Adulari verò pessimum est, quare monet *Isaias*, *Popule meus, qui te beatum dicunt, decipiunt;* quoniam vt testatur *Dauid Psal. 5.* *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est: Sepulchrum patens est eorum guttur, linguis suis dolosè agebant;* & rectè quidem adultores, & seductores sepulchra patentia dicti sunt, quia non habendo vitam veritatis, quodammodo exanimés homines sunt, & mortuos in se recipiunt, quos verbis mendacibus, & vano corde interemptos in se conuertunt, vt obseruat *Ruff. ibidem.* Quaproptèr si te lactauerint Peccatores, non acquiescas illis, *Sapiens in prouerb.* Qui sapit, non fruitur laude per blanditias adulterata, sed stabilita per veritatem, *Phil. Iud.* Et ad rem *Sen. in Thyeste.*

*Qui fauoris gloriam veri petit,
Animo magis, quàm voce laudari volet.*

Et

Et quippe sanè; Non enim est putanda gloria laudari, sed laudabilem esse, maximèque laudabilis est, qui perseuerat non laudatus. Coscientiæ propriæ credendum, non alterius encomio. Laus verò humili sæpe contigit viro, *Seneca ibidem,* Monetque *Horat. lib. 1. epist.*

Tu rectè viuas, si curas esse quod audis.

7 Beata igitur illa Imperantium mens, quæ nec adulatur, nec adulantibus credit, vt dicit *S. Hyeron.* Exitium afferunt, & venenum assentatoria verborum lenocinia, & ideò, qui præceteris libertate potiuntur, iure muneris, ad altiora veritatis non debent adulantium laqueis irretiri, vt monstruosi fiant præda criminis. Et verum est, quòd quemadmodum Polypus eidem illi saxo, cui adherescit, agglutinaturque concolor factus proinde, ac mirus aliquis præstigiator hominum oculis, ita illudit, vt vnum idemque met saxum esse videatur; ad eundem modum quam plurimi Principibus, quibus tenacitèr adherescunt concolores assentando facti, & suis artibus venire solent, vt ipsimet videantur esse Domini, *Meron. loc. cit. c. 24.* Perit certè libertas, vbi vincula blande fallentia mentem ad necem perstringunt, & animum; habent enim linguam mendacem, cor machinans cogitationes pessimas, *Causin. in mass. ster. fol. 484.* Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, *Roman. 16. c. 18.* Venenumque aspidum sub labijs eorum, *Ezech. 2. c. 6.* Et mala utique sueuerunt moliri grata loquentes, *Omer. apud Pagl. in Tacit. opportunè ergò Alanus in parabolis.*

P 2

Non



Non teneas aurum, quod totum splendet, ut aurū,

Nec pulcrum pomum, quod libet esse bonum.

Non est in multis virtus, quibus esse videtur,

Decipiunt factis, lumina nostra suis.

Plus Aloes, quàm Mellis habent in pectore tales,

Quos sanctis similes, simplicitate putes.

8 Itaque non patiat, qui regit, huiusmodi assentatorum genus, eorum namque verba in stuporem perducunt, & amentiam, *Meron. ibid. c. 25.* Malèque ceteris dominatur, qui assentatione deuincitur, dum sola quippe adulatio, etiam vigilantibus satellitibus imperium depredatur, & nisi omninò arceatur, in ima usque conclauia sensim penetrat, ipsamque Regum præstantissimam partem, animam aggreditur, *Synes. orat. de Reg.* Indè teste *Diphilo*, antiquo comico:

Ducem exercitus,

Et Primatem, & amicos,

Et Vrbes euertit;

9 Sunt tamèn magis spernenda occulta consilia, & ab Aulæ seruis claudendæ, & aures famulorum improborum consilijs, *D. Petr. de Blas. op. post. fol. 195.* à quibus, ut inquit *Plaut. in Curc.* conspuitur, vituperatur qui regit; Hi quidem dum assentantur, habentque apertas Regentium aures, semper detrimenti sūt Reipublicæ.

10 Et idè in hoc vno laus fuit à *Tacit. histor. 1.* tributa Neroni: nempe, quòd non habuit infrà seruos ingenium.

11 Seruum scire debet potiùs, quàm loqui, eam esse

Sa-

Sapientiam, inquit *Plut. in Epidice*, & non tantùm oculos, & manus; sed verba habere domita, iuxtà illud eiusdem in milite. Homini seruo tuos domitos oportet habere oculos, & manus, orationemque: *Nephas*, si constet Aula seruis, ex quibus consilia in Regentē, ut plurimum expertum est bonis viris, malos seruos contingere, *Herod. in Artem. orat.* Inde Politice dogma: *Cauè à simulatis seruorum verbis.* Et quis quis tibi priuatim seruus is, de his rebusquæ ad officium Imperij tui, atque ad aliquam Reipublicæ partem pertinēt, 12 ne quid attinget, *Cicer. epist. 1. ad Q. lib. 1.* Natura enim serui Dominorum hostes, *Hermogenes apud Stobeum*: & materna lingua Vales.

Son per lo più poterui,

Cauto fida però chi regge à Serui;

MONITVM XVIII.

Cauendum maximè, nè Fæminæ in Negotijs Reipublicæ se immisceant.

SVMMARIVM.

- 1 *Mulier non fidendum, nec gremio.*
- 2 *Iudicare, Rempublicam gerere, non est feminile negotium.*
- 3 *Studiorum non decet uxorem ducere.*
- 4 *Contrarium veriùs.*
- 5 *Mulier omnibus dominetur, at non marito.*

6 Nil



- 6 Nil interest quòd gubernent homines, si ij gubernantur
à feminis.
- 7 Mulieres Iudicare non possunt, nec permissum sub earum
potestate esse, qui Iudicant.
- 8 Potestas supra se non danda Mulieri.
- 9 Carmina Antonij Abbat.

C A P. XVIII.

1 **V**ulgatum est adagium ex Festo: Nec Mulieri
fidendum, nec gremio: Turpe Viro, turpe, & ipsi
Império, si qui imperant, sint coniugibus dedi-
ti, cum Claudiano illo stipite. Coniugum Imperij ob-
noxij, vt notat Tac. 12. annal. De Claudio enim refert
Sueton. in Claud. quòd libertis, vxoribusque addictus
non se Principem, sed Ministrum egit: Hocque, cum
non tantum nephas, sed ipsi Reipublicæ obnoxium,
dum scribit Propert. lib. 3. eleg.

Ed trahit ad dictum sub sua Iuga virum.

2 Imprudentis erit Iudicis, cuiusue alij Reipublicæ
Rectoris, permittere, vt femina virorum negotijs se
immisceant. Iudicare, Rempublicam gerere, non est
feminile negotium, dum solum, vt inquit, Claud. in
Entr. lib. 1.

*Nascitur ad fructum Mulier, Prolemque futu-
ram.*

Eiusque hoc erit officium, teste Virg. in 6. Eneid.

Ceu femina primum,

Cui tolerare solam vitam, tenuique minervam

Impo-

*Impositum cinerem, & sopitos suscitatur ignes,
Noctem addens opere, famulasque ad lumina
longo,*

Exercet penso, castum vt seruare cubile

Coniugis, & possit paruos educere Natos.

3 Et adeò esse verum dicunt, vt non desit, qui vetet
studio vxorem quoque ducendam, Albert. in Ethic.
ac testante Euripide.

Non omnes, aut infortunati sunt in nuptijs,

*Aut fortunati. Calamitosus est autem, qui inci-
derit*

In malam Mulierem. Felix qui in bonam.

4 Idcirco non omnes probant, sed contrarium senti-
re videtur, Lips. cent. 3. ad German. & Pall. epist. 29. dū
inquit: *Concors, & alterno amore matrimonium eximiū
inter humana bona: & clare Tac. 12. annal. dicens:
Nullum porrò honestius censoriæ mentis leuamen, quàm
assumere coniugem, prosperis, dubijsque soriam, &c.*

5 Tantum, pari voto, concludunt, vt Mulier domine-
tur omnibus, quæ intus sunt, sed non Marito, Tholog.
in Syntag. art. mirab. c. 4. lib. 23. Voluntas enim Viri,
cum Vxore lex est nō scripta, Matth. hist. fran. fol. 355.
Non enim imperare viro debet, sed eum honorare:
Vnde pudica illa vxor apud Plat. in stich.

Pudicitia est pater,

Eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi.

Alia huiusmodi refert D. Dominic. Manfrell. vir
sanè doctus, & benè eruditus in obseruat. ad Decis.
Reg. Capyc. Latr. 138. num. 26. tom. 26.

Idq;



Idq; præsertim cū Imperantibus. Quid enim interest quòd
 6 Respublica gubernetur ab hominib; si homines gu-
 bernētur à fēminis? *Ar. 2. Pol. c. 7.* Gēs tota proclamat,
 si regunt Imperia, & officia Vuluæ, *Luc. de Penn. l. pe-
 nul. C. de Professoribus, & Medic. lib. 10.* Etenim im-
 becillum non tantam, & imparem laboribus sexum,
 sed si licentia adsit, sæuum, ambitiosum, *Tac. 3. annal.*
 In eis consilium inualidum, *Aristot. ethic. lib.* Mens est
 mutabilis illis, *Tibull. eleg. 4. lib. 3.* Viris esse aduersas
 equè studium est, *Terent. in Exyra.* Facile est verba, &
 componere fraudes, *Proper. lib. 2. eleg. 8. ad Amor.* Nil
 est eis audaciùs, *Iuuenal. Satyr. 6.* Leui sententia, *Terēt.*
loco cit. folijs leuiores, *Ouid. eleg. 2.* Eis Deus pectus in-
 struxit dolis, sed vim negauit, *Senec. in Octau.* Etiam
 Natura quicquid Masculum magis factum ad impe-
 randum fēmineo, *Arist. 1. polit. c. 8.* Apage Fœmina-
 rum ergo imperium, sitque Dux Regentibus Tibe-
 rius, qui vt scribit *Tacit. 1. annal.* nec licitorem Agrip-
 pinæ quidem decerni passus est; Ideòq; Vates :

E come mai ponno i maneggi humani

Buon fine hauer, se feminil Medea

Al Buon capo dell'huom tronca le mani.

7 Si Mulieres essent aptæ ad iudicandum, aliquā
 exercenda officia, non esset vtique de Iure vetitum;
 Sicque haud permissum, vt sint sub fæminarum po-
 testate Regentes, & Iudices: Siquidem ipsi regere, &
 iudicare, respectiue debent, vxores familiam, & do-
 mum: Hoc vxoris proprium audire maritum, ac pa-
 rere illi; *Nephas si ille pareat, Lip. in comm. in Plin.*

paneg.

paneg. Nequaquam vir nuptam, sed teste Vate:

Nupta Virum timeat.

8 Aduerte itaque Christiane Iudex, ac Rector, nè des
 potestatem Mulieri supra te in vita tua, *Eccl. c. 33. nu.*
 19. *ibi: Audite me Magnates, & omnes Populi, & Re-
 ctiores auribus percipite, filio, & Mulieri, fratribus, &
 amico, non des potestatem super te in vita tua, & non
 dederis alijs possessionem tuam, nè forte pœniteat te, &
 depreceris pro illis, dum adhuc superas, non immutabit
 te omnis caro.* Meliùs est enim, vt filij te rogent, quàm
 tu respicere in manibus filiorum tuorum, non Impe-
 rium, Sed vt aduertit *Seneca in Octau.*

Probitas, fides, mores,

Pudorque Coniugis placeant Marito.

9 Exprobantur in hac parte Romani, qui cum Gen-
 tibus omnibus, armis imperitarent, ipsis imperarent
 Vxores. Indelebilis est illa ignominia nota, qua est
 fœdatus Olorus Rex Traciæ, cum Populos à se vi-
 ctos, Mulieribus, & Vxoribus seruire præcepit. Exce-
 dunt hæc honesti fines coniugij. Satis vxori debet
 esse, quòd viri socia sit, vnumque cum ipso cor, velut
 honestæ vitæ magistratum, vt *Aristoteles* tradit in *po-
 liticis.* Cum à mulieribus negotia suscipiuntur, & trā-
 figuntur, illis deterrimi quique prouincialium adhæ-
 rescunt, *Tac. 3. annal.* Vnde ex lingua materna Vates
 qui supra.

Perche sia noto à qualche hà trono in Reggia,

Che de diurni affar l'huomo hà la mole,

Et che i notturni piacer donna vaneggia,

Q

Splen-



Splende Cinthia la notte, e'l giorno il Sole.

M O N I T V M XIX.

Probrum, est omnino nephas, conuersare cum Malis.

S V M M A R I V M.

- 1 *Errant, qui credunt, non fœdari Improborum consortio.*
- 2 *Omne simile naturaliter appetit suum simile.*
- 3 *Cauendum à conuersatione malorum, & quare.*
- 4 *Carmina Theognid.*
- 5 *Meliùs est habere malorum odium, quàm consortium.*
- 6 *Lucis qualitas describitur carminibus Poeta.*
- 7 *Turpe si mali sedeant in consilio.*
- 8 *Malorum effugium in fuga.*
- 9 *Nulla res magis vocat ad rectum, quàm bonorum cõ-
uersatio.*
- 10 *Seneca monitum.*
- 11 *Solus bonus amicus. Amicitia vitij extinguatur.*
- 12 *Improborum amicitia non firma.*
- 13 *Improbi faciunt impuritatis particeps.*
- 14 *Carmina Innois. commodator.*

C A P. XIX.

A Coniugio malorum se abstinere, virtus est, quã
puto Christiani Iudici, Reipublicæque Reçtori
congruam non tantùm, sed imò necessariam:

Et

Et quidem longè falluntur ij, qui hoc putant abesse à
vitio, nec fœdari credunt improborum consortio,
quoniam, meo planè iudicio, tam stultè faciunt, quàm
qui faciem suã fœde vlnerari, nil pendi habent, quod
cicatricem certo medicamento deleri posse confidãt,
sed quàm difficile sit, vt fama semel conspurcata pri-
stino suo restituatur candori, experiendo sentimus.
Furoris indicium est, lubricum, atque abruptum
non timere: Pestes namque animorum sodales mali,
Lip. cent. 1. ep. 8. Aulæ pernicies homo dolosus, *Me-
ron. in aula David. c. 65.* A Pessimis dedecus publicũ,
Tacit. annal.

Bonorum consuetudo exercitatio est, Malorum
autem, exitium, *Xenoph. lib. 1. memor. Socrat.* quod te-
stimonio Poetæ (quo profectò nil veriùs) dictum suũ
confirmauit:

*Tradent nempè boni bona, sed si vixeris inter
Pruos, amittes, quod tibi mentis adest.*

- 2 Vt etenim flumina per se dulcia, cum in mare ve-
nerint, salescunt; sic homines non mali ex agris in
Vrbem redacti, tactu inquinantur, & mixtione, *Lips.
ibidem.* Si quis malorum gaudeat consortio, rogare
qualis ipse sit, non oportet: nam quisque est similis
sodalitij sui, *Soploch. in Phæn.* Opertum enim non est,
quòd simile naturaliter suum simile diligit. Et est ar-
gumentum à contrario sumptum ex *Horat. lib. 1.
Epist. ad Loll.* qui ita canit:

*Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi
Sedatum celeres, agilem, gnauumque remissi.*

Q 2

Et



Et Ouid. 2. de Ponto.

Scilicet ingenijs aliqua est concordia cunctis;
Et seruat studij federa quisque sui;
Rusticus Agricola, Miles fera bella gerentem
Rectorem dubie Nauta puppis amat.

3 Nec dubitari quippè potest, quòd magna sit inter mores concordia, vt aduertit Iuuenalis. Probrum ergò, est omninò nephas, conuersare cum malis. Propterea summoperè curandum est, cum quibus consuescimus, vt tales sint, quales nos esse velimus, nam hæc consuetudo, siuè in malum, siuè in bonum, transfundit mores, & transit in alteram naturam, Pluth. de tuend. bon. valet. & vt Seneca scribit lib. 3. de ira cap. 8. sumuntur à conuersationibus mores, & vt quædam in contactus corporis, vitia transfiliunt; ita animus mala sua proximis tradit; quare sanè monet Cirill. fulg. in sum. cri. de quaest. §. 4. nu. 57. Ambula cum bonis: nam mores à coniuncto firmantur, facile quidem nostrorum familiarium moribus induimur: Cum Viro Sancto assiduus esto, Eccl. cap. 37. Recedite à Tabernaculo impiorum, nè inuoluamini in peccatis eorum. Præceptum est in num. cap. 10. Nolo ego cum improbis te versari, inquit Plaut. in Trinum. neque in via, neque in foro ullum sermonem exequi. Et, re vera, si virtutem colis, quid causæ est, quòd cum improbis hominibus coniugeris? S. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 124. Malos, necesse est, aut imiteris, aut oderis, Seneca epist. 8. Qui cum improbis versatur, vel pati, vel discere malum aliquod, necesse est, Epist. in libell. Paren. Charondas etiã

Thu-

Thurijs, lege, præscripsit, vt ciues sui à malorum familiaritate, & consuetudine prohiberentur, Diodor. Sicul. lib. 12. Bibliot. Imò non tantum à malis, sed cauendum, & ab hijs, qui non sunt boni, vt monet Tull. Q. Fratrem in epist. dum inquit: Malis, & famosis, imo nec ambiguis ullam existimationis suæ partem commiseris, ex quo, vt aduertit Plin. in Paneg. quales cuique est fama, tales esse credendos. Ita vt prima lex post Dei opem imploratam in bonis obtinendis moribus, hæc sit: Vitiosos vitare. Cum bonis congregari, Tholos. Syntag. art. mirab. vol. 2. lib. 22. fol. 391.

A bonis quidem bona discas, sin autem malis

Te immiscueris, te perdes, & quam habes mentem.

4 Sed quid est quod audio? Non desunt, qui cum Adfessore illo Alcibiadis, de quo Alciat. disp. lib. 4. c. 7. dicant, se esse Pnyllorum de gente, propterea non timere venenum mali, conuersando cum malis. At hæc cine sani hominis vox! Apage Christiane Iudex; Temeritas hæc non fœlix. Portentum est. Procul Sphinx ista, eo vel nomine perniciosissima, quod virgineam præferens faciem, humanaque voce vtens, in fœdissimum Dragonem deficit. Faceffant improbi isti ab Aula. Enimuerò non est tanti humana doctrina, atque industria; non est tanti, vt eius gratia homines prauis diligantur à bono Principe.

5 Meron. de optim. Principe, c. 46. in fin. Hoc generaliter verum: Melius est habere malorum odium, quàm consortium. Iudices, alijque cuncti Regentes, sibi gloriam parent, si bonos virtute præditos, & rectos ament.

ament, malos, impiosque abhorreant. Virtus, & vitiū non coeunt, nec vllum hominum excelsi genij turpia delectant, *Bonomius in Chyr. Achillis*; etenim, vt amorem similitudo morum parit, ita sanè odium dissimilitudo, *Meron. ibid. c. 28*. Qui cum sapientibus greditur, sapiens erit. Amicus stultorum efficietur similis, *Sapiens 13. c. 20*. Luci namque tantum hæc qualitas tributa, vt pura remaneat cum impuris. Vnde dictum.

*Priua di corpo il tutto abbraccia, e stringe,
Per lo fango passeggià, & sempre è pura
Si sommerge nell'onde, & non si tinge.*

- 6 Coeterum semper homines mali impiorum commercio, cōspuuntur: dū enim exitiosissimi sunt, eorum quibus cum viuunt, & mores, & famam perdunt, *Meron. ibid.* Isque laudabilis Rector, qui publicæ vtilitati, ita consulit, vt cum homines mali perhorrescant, & fugiant; & hoc est quod docet *S. Anastas. in Psal. 100. Davidis*, dum ait: *Improbi apud me nullo erunt numero, vt & presentiam, & absentiam eorum ignorarem.* Et *Theodor.* Non discessionem putabam eius, scilicet vitiosi, secessionem, ita contemnebam hominem, qui vitio deditus esset: Siquidem, qui cum improbo versatur, teste *Plant. in Curtum.*

Culpant eum, conspuitur, vituperatur

Eum, rem, fidemque perdere, tametsi nil fecit, aiunt.

- 7 Præter quam quod, quid peius, amabo, si boni, & sapientes sint retro, & mali sedeant in Consilio? cum homines non ea potissimum gratia in omnem Ciuitatem conuenerint, vt simul viuerent; sed vt rectè, bea-

beatèque viuerent; decet profectò, vt viri optimi, vtpotè plurimum opis ad ciuilem hanc communionem conferentibus, potiores in Ciuitate deferantur, decet contra, vt qui vitijs indulgentes præclaro huic fini aduersantur, ij ab omnibus honoribus, atque aded à ciuium societate repellantur, *Meron. ibidem c. 29*. Malus esto nobilissimus eo loco esse debet apud Regentes, quo ignoti, & vilissimi quique de plebe. Dignum enim est, vt ignoretur, qui virtutis est exul, *Phil. Ind. de nobilit.* Quoniam vix credibile est, eum, qui flagitiosis familiaritèr vtitur, flagitium odisse.

- 8 Malorum aded effugium, si cesset consortium, *Lip. lib. 1. de const.* Hocque tenet præceptum omnes, sed maximè Rectores, & Iudices, quos vult, *Tac. hist. 4.* non inter claros magis, quàm inter bonos. *Occursus, me hercle,* inquit *Senec. epist. 44. ipse sapientium iuuat, & est aliquid, quod à magno viro etiam tacente proficias.* Boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem, gloriam, & gratiam. Hoc pretium est; & ideo *Plant. in Trinum*, magis cum probis, quàm cum improbis lubet viuere Vanicidijs.

- 9 Nulla res magis honesta induit animis, dubioquè, & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequentèr audiri, aspici frequentèr, nec tantum iuuat occursum sapientium, sed imò iuuabit, & cogitatus. *Seneca* ergò hoc monitum admitte: *Aliquis Vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sit tanquam*



quàm illo spectante viuamus, & omnia tanquàm illo
vidente faciamus, *Lips. lib. 3. manud. ad Sthoic. Philos.*
discert. 24.

11 Et quidem solus bonus soli bono amicus; malus
autem, nec malo, nec bono vnquàm amicus est, *Lips.*
de amic. lib. 1 2. Ex quo amicitia vitij extinguitur, pro-
bitate seruatur; probitas necit, improbitas soluit, &
dissipat, *Piccol. de amic. solus sapiens scit amare, solus*
sapiens amicus est, Sen. ibid. Improborum amicitia est
mala, Arist. 9. Ethic. c. 2. Virtus, & probitas contrahit
beneuolentiam, Ibidem c. 5;

12 Præsertim improborum amicitia non est firma, sed
ad tempus, *Arist. 8. Ethic. c. 6.* Nec vnquàm quid bo-
ni à malis: serpunt namque vitia, & proximorum
quemque transfiliunt, & contactu nocent, cum sit ve-
rum, nil differre à peste peccatum.

13 Cauendi tandèm improbi, nè fiant impuritatìs par-
ticipes, qui accedunt ad illos, *S. Ioann. Chrysof. homil.*
15. sup. epist. ad Roman. & Theod. qu. 18. in Leuit. ma-
le facere malorum est, Arist. 4. Ethic. c. 9. Mali enim
oblectantur malis, *Idem 8. Eth. c. 9.* Indè, qui tetigerit
picem, inquinabitur ab ea. Ex sacris literis, & vt testa-
tur *S. Ciprian. epist. 1. ad Donat.* Scelus non tantùm
geritur, sed docetur; Idcirco, vt aduertit *Naso 3. de*
Ponto.

Quis non è timidis egri contagia vitat,

Vicinum metuens nè trahat inde malum.

14 Apage ergò malorum, non tantùm patrociniùm,
sed consortiùm.

Che

Che d'emistà sleale

Ingrate ricompense, insidie, è n' ganni

La meste son d'ambitiosi affanni.

M O N I T V M XX.

*Proprie nimis non adherendum sententiæ. Quando ex-
pedit sapientiores consulendi.*

S V M M A R I V M.

- 1 *Rektor Monitores non inuitus audire debet.*
- 2 *Sapientissimi quoque falluntur.*
- 3 *Inanis iactantia est, posse cuncta exequi propria sen-
tentia.*
- 4 *Baldus non erubuit suam mutare sententiam.*
- 5 *Qui decreuit errare audit, quod vult, non quod est.*
- 6 *Pertinaces undè dicantur? explanatur.*
- 7 *Monita ad rem Rektori ac Christiano Iudici.*
- 8 *Stoici iactant, virum sapientem nullius rei egere.*
- 9 *Consilium non adimunt, & ratio affertur.*
- 10 *Vnus pauca audire, & videre potest, plures multa.*
- 11 *Salomon, qui fuit Sapientissimus, alios quandoque cõ-
sultuit.*
- 12 *Temeritas est, nil posse boni suadere ab alijs.*
- 13 *Necessarium est admoneri, & fabula Vulpis refertur.*
- 14 *Dispositio virtutis est, & prudentiæ simulacrum, con-
siliari bene.*
- 15 *Sapientium monita traduntur.*

R

16 Car-



C A P. XX.

I H Aud me fugit, esse nonnullos, qui tantam se mentis firmitatem habere iactant, vt per lubricum propriæ voluntatis euntes, labi non timeant. Aliosque etiam inuenias, qui, cum nihil sibi veritate iucundiùs fore iactent, grauequè proinde supplicium eam celantibus interminentur, libertatè verò seriò incipientium loqui, truci vultu accipiunt, nihilquè sibi, nisi quod aures titillet, placere posse, ostendunt; cuius mali originem, non aliam esse dixerim, nisi consuetudinem blanda. & arridentia magis audiendi, quàm vera.

Sed hoc non est sub virtute. Imprudentis est utique, dum prudentia dicat, vt qui regere, ac gubernare velit, Monitores non inuitus audiat, & Doctorum virorum seriò monumenta legat. Aliam ideò hanc ergò virtutem tribuo congruam Christiano Iudici, ac Reçtori, propriæ nè nimis sententiæ adhæreat, sapiētiores consulat. Et sanè: etenim mens quæque decipitur, nec eo vnumquodque collimat consilium, vnde resilere sit nephas. Et quidem quis vnquàm sibi ipsi verum dicere ausus est? quis plurimum sibi ipsi non assentatus est? *Senec. de ira, epist. 3. & cap. 36.* nullus quippe in hijs, quæ subsunt prudentiæ sibi quantum ad omnia sufficit, *D. Thom. 2. 2. quæst. 49. art. 3.* In suo quisque negotio habetior est, quàm in alieno, & turbida

bida sunt consilia eorum, qui sibi suadent, *Q. Curt. lib. 7.* Nulla alia pestis plura ingenia arripuit, quàm confidentia, & existimatio sui, *Lips. cont. 1. epist. 77.* Huiusmodi hominucios, à quibus torue aspectatur, fugaturquè veritas, dum non deest, qui carfaneè dixerit, esse sapientes, puto proculdubio, quòd sapientes, & fortunatos prædicabit, quoq; egrotantes illos, qui Medicos liberiùs aliquid monentes spernunt, ac mori malunt, quàm salutaria eorum monita æquo animo pati. *Proderit sapiens etiam sapienti, ipseque audiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* In *Proverb. c. 1.* hoc est: Vir sapiens discet consilia, quibus tùm suas, tùm alienas actiones perinde moderetur, vt *Naucerus gubernaculo Nauim: siquidem ita testante Plaut.*

Auriculas Asini quis non habet?

2 Sapiētissimi quoque falluntur, vt inquit *Socrates*, & peccat vir sapientior, vt tradit *Menander*, & quod magis est scèpè contemptus homuncio optimum dat consilium, nec hominum quis est, qui non fallatur, saltèm aliquando affectu detentus, vt experimento nulli sit opertum, quod, & vulgò fertur:

Quandoque bonus dormitat Homerus.

3 Est iactantia inanis, quem se esse eo ingenio, vt cūcta sua exequi possit sententia, alienis suasionibus nihil, ex *Histor. Boeth. in hist. Scoter.* Homo sapiens est, quamdiù querit sapientiam; vbi autem putat, se ad eius culmen peruenisse, desipit, *Causin. vol. 1. massim. 12. fol. 501.* omnis ratio, inquit *Tull.* & institutio vitæ



adiumentum hominum desiderat. Bis stulti; qui volunt omnes sapere ex ore suo, *Lucret.* Exordis est, atque indocti iudicij sine rationis discrimine, aut semper in propriam, aut semper in alienam, non tantum ire, quam ferri sententiam. Superbus iudicandus potius, quam sapiens, qui omnia gerit sententia sua, *Liuius l. 44.* Sapientissimè namque, scribente *Terent. in Adolph.*

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad Vitam fuit,

Quin res, atas, usus, semper aliquid adportet noui. Aliquid moneat, ut illo, quæ te scire credas, nescias, Et quæ tibi putaris prima in experiendo, repudies.

4 Etiam *Baldus* nec erubuit suam mutare sententiam, ut ipsemet fatetur *cons. 447. vol. 4.* cum sciret, quod proprium est aliorum etiam consilium exquirere, & propriam mutare sententiam.

5 Cuius aures clausæ sunt veritati, ut verum audire non possit, eius saluti desperandum est, ex *Tull.* Quod vult, non quod est, audit semper, qui decreuit errare, *S. Petrus Chrysol. serm. 131.* Ideoque opere pretium interdum aliorum sententias audire: nam fuit nunquam habita inter laudabilia pertinacia; Bonum est enim à veritate vinci, *Lips. de vn. relig.* Undè *Onoxander* in *stragetico*, ita firmatum: *Exoptat Reipublica moderatorem, ut neque sibi ipsi incredulus usque quaque diffidat, nec tantum sibi peruicaciter arrogaret, ut à nemine meliora promi posse existimet, Lips. ibidem.*

6 Qui egrè desistunt à sententia, nec facile possunt dissua-

dissuaderi, pertinacia sunt præditi, *Arist. 7. Ethic. c. 9. de virt.* Dicuntur namque pertinaces à pertendo, si fides sit adhibenda *Varroni l. 4. ling. latin.* ex quo, qui pertendit in re aliqua, in qua pertendere non debet, dicitur pertinax, ex *Thes. Arist. f. 295.* Quod quidem turpe, cum sit inter vitia, dum æquum est, vnumquæque contraria veritati sua decreta tollere, *Arist. 1. eth. cap. 6.*

7 Undè *Leo Imperator* hoc reliquit filio documentum: *Quod factò opus sit, cum multis delibera. Quid agere volueris, cum paucis communica, ita ut nec tibi te ipsum nimium cedas, nec alijs.* Ita dignus iudicabere, inquit *Meron. in Aul. David. c. 10.* cui Deus præluceat, bonamquæ mentem det, bonamquæ fortunam, si humanã fueris secutus, viam tibi monstratam, & si prima fronte fortasse asperam, libens ieris, ac perexeris. *Nolite fieri prudentes apud vos metipsos,* docet *S. Paul. ad Roman. 12.* Hocque idem præcipit *Sapiens Proverb. 3. annuës: Ne sis sapiens apud te ipsum.* Et *Eccl. 7. c. 17. Noli esse iustus multum, neque plus sapias, quam necesse est, & aliàs D. Paul. ibid. 3. non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem; contra multos sapere, decipere est.* Sapientiæ prima hæc veritas. Interdum sapere, quod nolis, *D. Hilar. l. 8. de Trin.* Et *sapiens in proverb. 35. Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Tu ergò *Rector,* Tu ipse rege, dicam cum *Valer. Flacco lib. 4. Argueat.*

Sed te non animo, nec solis viribus equum credere.

8 Quamquam *Zenonij,* siue *Stoici* virum sapientem, ple-

plenum nimirum omni bono, & summa adeptum, atque adeo Numini parem, nullius rei egere, iactant: Numquam tamen adeo desipuerunt, ut ei alienum consilium despicerent, ut aduertit *Merom. loc. cit. c. 41.* Præcipua siquidem prudentia est, alios existimare prudentiores, & præcipua eruditio, quod discere vis, *Plin. in Paneg.* Interrogare Sapientem, sapientia est, nec crimen est ignorare, sed nolle discere, *S. Petr. Chri-
sost. homil. de fer. repr.*

*Non uni dat cuncta Deus, quod proferat alter
Disce, ferent aliquod mutua sensa bonum.*

9 Virtus enim est, eaque suadet, bene collocare præsentia, in futurum consulere, deliberare, & intendere animum, *Senec. epist. 100.* Adeo quod Plato tantum consilio tribuit, quod, Consultorem, sacram rem esse pronunciauerit, ut habetur in *Teag.*

10 Pauca vnus videre, vnus audire potest, *Xenoph. in
Ped. cir.* Vnus non videt omnia, plus vident oculi, quàm oculus, *Euripid.* Omnium honestarum semina rerum animi gerunt, qui admonitione incitantur, *Sen. epist. 9.* Quod fons aquæ viatoribus in æstu, ita Prudentium sermo, *Lips. de const. lib. 2. c. 12.* Vbi consilium, ibi salus, *Proverb.* ex quo consilium homines à malo proposito trahit, *Archid. in cap. ant. 2. qu. 1.* Ideoque cæcutire iudicandus prorsus est ille, qui sapientiores non consulat, vbi Reipublicæ præsertim cauenda sunt pericula, vel quouis alio modo expediatur; magna negotia magnis adiutoribus egent, *Velleius lib. 2.*

11 Et quis, amabo, post homines natos fuit vnquam
Sala

Salamone sapientior? & quis in prospiciendo sagacior? Et tamen, quamuis ei nulla bene regendi ars fuisset ignota, adhuc sine Consiliarijs velut exitiosum habebat Imperium, & eminentes adhibuisse viros adiutores ad gubernandam Rempublicam, refert ipse *Velleius ibid.* ut habetur *3. Reg. c. 12. ibi: Inijt consilium Rex Roboam cum Senioribus, qui assistebant coram Salamone Patre eius, cum adhuc viueret &c.* Quorsum ergo Salamon assistere sibi voluit Seniores illos, nisi, ut cum eis pro re nata consultaret? Hominem se esse meminerat, idque studebat, ut quando cuiusque rei cognitioni par natura non est, amicorum oculis cerneret, auribusque audiret: Et quàm de se moderatè loquatur, & quàm egregium det suæ sapientiæ specimen, habetur in *Eccl. c. 7. vbi inquit: Cuncta tentavi in sapientia: dixi Sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me multo magis quàm erat, & alteram profunditas quis inueniet eam?* Omnino ita sentiunt de se viri sapientes, ita loquuntur. Tunc se maximè indigere profitentur, cum abundant maximè: nam, re vera, qui alieno vtuntur consilio, bonis omnibus affluunt; Nam sicut limites in agris confundi non sinunt, & misceri; sic salutaria illa monita coercent, & animum neque diffundi ad vana illa, nec misceri, *Lips. centur. 3. epist. 58. ad Belgic.*

12 Nil posse boni suaderi sibi ab alijs, temeritas est, ut obseruat *Liu. 44.* dum inquit: *Si de sua sententia gerat omnia, superbum hunc quidem iudicabo magis, quàm sapientem, & latius Merom. loc. cit. c. 41. ibi: Vt summa-
tim*



tim dicam, qui omnia se videre putans neminem unquam
 consulere vult, is mihi, nihilo insanire minus videtur,
 quam qui nocte illuni, & Aquilone flante, per abrupta,
 & confragosa iter habens, sua unius facula, quamquam
 tenuissima contentus, alium velit neminem sibi praluce-
 re; Sicut vermes è dulcore, & bellarijs nati, non nisi
 amariose pharmaco pelluntur, simile in ingeniosum cor-
 ruptela, ac lasciuia, quæ à suavi, & blandiente illa Phi-
 lauria est orta, dum, vt inquit Bonom. in Chyron. Achill.
 non est crimen ignorare, sed è consilijs ediscere. Vnde
 Ouid. 4. met.

Fas est, & ab hoste doceri.

- 13 Ideòque defricare sale aliquo dictorum oportet,
 aloe interdum monitorum abstergere, Lips. disp. nor.
 mirand. Necessarium est admoneri, & veram deniquè
 vocem audire, Sen. epist. 94. Deus ita disposuit, vt ho-
 mines ab hominibus corrigantur, In prat. spir. c. 199.
 Nemo solus sapit, Plaut. Dissipantur cogitationes, vbi
 non est consilium, Prouerb. 15. Et qui solus est ple-
 rumque deficit: fortuna namque non fera, vnquam
 temeritatis vltrix, P. Iouius 4. histor. ad rem scripsit de
 Phetonte Sen. Tragic.

*Ausus eternos agitare cursus
 Immemor metæ Iuuenis paternæ,
 Quod Polo sparsit furiosos
 Ignem, igne recepit.*

Meron. loco citato in Aul. David. cap. 41. vult magi-
 stram in Rectore viro Vulpem. Hæc bestia, inquit, olim
 vt fabulantur familiam amplam habuit, & locupletè,

atq;

atq; vt erat multo usu callida dexteram suam aurem
 Prudentiam vocitabat, sinistram verò Memoriam. Si Ca-
 tuli quippiam ad rem familiarem pertinens insusurra-
 rent, Sinistræ is obsecundabat, at non nunquam, non sine
 aliquo dispendiolo. Sin Dextera, Vix unquam eidem au-
 scultabat, etiam si minorem prædam, spreto filiorum con-
 silio, domum esset reportatura. Præclaram verò, & Prin-
 cipe Viro dignam Magistram Vulpem. Hæc ille. Nec
 abs re: principium enim operationis est homo, & de
 operabilibus ab ipso homine est, consilium ab alijs ca-
 pere, Arist. 3. Eth. & est regula bonæ prudentiæ, vt do-
 cet S. Hilar. in Psalm. 118. Ideòque ad rem Hesiod.
 oper. 8.

Laudatissimus est ipse, qui cuncta videbit,

Sed laudandus est is, qui paret recta momenti.

- 14 Qui nec ipse consulere, nec alteri scit parere, eum
 extremi esse ingenij, opertum non est. Inde Liu. 22.
 Sæpè audiui, eum primum esse virum, qui ipse consulat,
 quid in rem sit, secundum, eum qui bene monenti obe-
 diat. Quoniam consiliari bene est quædam dispositio
 virtutis, & prudentiæ Simulacrum, Ægid. de regim.
 Princip. lib. 2. c. 4. Dum Consilium dicitur oculus fu-
 turorum, Arist. in theor. secret. ad Alex. Et labor cum
 pluribus communicatus fit leuior, Lips. lib. 2. de const.
 cap. 26.

- 15 Monitum ergò Sapientis est Prouer. 19. c. 20. Audi
 consilium, vt sis sapiens, & Tobie 4. d. 19. Consilium sæ-
 per à Sapiente perquire, siquidem teste Vate,

Oprimus ille quidem, qui per se omnia noscens,

S

Con-



Consilijs praeuisa suis meliora coegit.

- 16 Qui cum consilio agunt, reguntur prudentia, & sapientia, *Proverb. 13.* Nec errare dicitur, qui cum consilio Sapientium errat, *Innoc. in c. quarto, extr. de iudic. aliàs, Vate sic flante,*

Chi con ali volar crede di cera,

L' Hirco Ceruo altri nega, & questo auuera;

M O N I T V M XXI.

Incongruum improvise, vel publice Disputare.

S V M M A R I V M.

- 1 *Fæminæ est litigare, hominum nefas.*
- 2 *Sunt ridiculi, qui continuis clamoribus pugnant.*
- 3 *In auribus insipientium non loquendum.*
- 4 *Non verbis, sed moribus prosperatur prudentia.*
- 5 *Prudentes evitant contentiones.*
- 6 *Iudices, non clamoribus, sed legibus debent esse muniti, ut rectè iudicent.*
- 7 *Cauendum ab illis, qui procurant publicè disputare, & improvise.*
- 8 *Carmina Francisci Alfons. Donnoli in Lyricis.*

C A P. XXI.

Mulier est litigare, ut inquit *Senec.* adeò quòd scripsit *Iuuenal. Satyr. 6.*

Nulla

Nulla ferè causa est, in qua non fæmina litem Moverit, &c.

- 1 *Fæminæ, quod ergò proprium, Viro nefas, præsertim Iudici, seù Reipublicæ Reçtori, ex quo honor est homini, qui se à contentionibus separat, ut docet Salam. in proverb.*

Hincque est, quod cõmendat *Epiçtetus* apud *Arianum*, *Socratis* comitatem, qua nemini adblandiebatur immodicè, nemini etiam disputans excandescibat, nec vnquàm malignum aliquid, aut iniurium proferebat; imò conuiciatores etiam sustinens pugnantium lites graui quadam hilaritate dirimere consueuerat, sicut de mediatore sapientè dictum est à *Vate*, nempe:

Hic citò certamen prudenti voce diremit.

- 2 Si quis non dum eo assurgere audeat, ut rixosos, aut iurgiosos comitate cohibeat, perdiscat saltèm illud nunquàm sibi reuellendum Canonem traditum in *Epistola ad Zenam*, & *Serenum* apud *Iustinum*: *Riduculos scilicèt fieri, odioque aliorum obnoxios, qui quotidianis clamoribus pugnant, ut aliquid euincant; A consiliarijs, inquit Plutar. non pedum, manumque opera exigimus; sed consilij, providentiæ, rationis; non tumultum, & strepitum in turba excitantis; sed prudentis, & tuto consulentis.* Labes est hominum hæc, vel *Superbia* immodicè sumentium; Imò nascitur ex ignorantia ramo rixandi libido, & prurigo contradicendi: nam re vera debet doctrina ad facta tendere, non otij, aut inutilis loquacitatis causa vsurpari, ut idem *Plut. in Phil. Ad rem Naso:*

S 2 Est



Esto procul lites, & amara præmia lingua.

3 Monetque Sapiens c. 23. *In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciunt doctrinam eloquij tui, quod cum non esset opertum Plaut. in Epid. dixit:*

Sed taceam, optimum est, plus scire, satius est, quàm loqui, &c. Ea Sapiencia est.

4 Et quidem, non verbis prosperatur prudentia, sed moribus, c. *Eua. 99. distin.* Nec sunt considerata verborum folia, sed veritatis radix, cap. *March. 1. qu. 1.* ex quo scientia debet præferri verbis, sicut anima corpori, cap. *sedulo 38. dist.* Unde habetur in cap. *indignum 38. dist.* *Non esse de verborum viribus disputandum, quia Iuris Scientia regulis Prisciani non subiacer;* nam sæpe, dum attenditur verborum proprietas, sensus veritatis amittitur, c. *præterea, de verb. signif.* Sicque relinquenda est disputatio, secundum *Cicer. curiosis, & pertinacibus*, qui de his, quibus non expedit, facile disputant, cap. *Abbate, prope fin. de re iudic. in 6.*

5 Iudices, cunctique Superiores, qui sunt Ministri Iustitiæ, & alij, qui virtutem prudentiæ iactant, euitare debent similes contentiones, & disputationes, maxime publicè, improvise: nam præter quàm quod non est parvi præiudicij illi gravitati, quæ à moribus Regentium nunquam debet esse disiuncta, est certum, melius scire orationem, qui eam recitat, esto indoctus, quàm sapiens, qui eam audit. Idcirco, si Iudices cum Aduocatis improvise contendant, cum habeant illi præmanibus materiam, de qua agunt, & ad eam recenti, & præcipuo studio adhibuere curam, de facili

incurrunt periculum derisionis Auditorum, ita ut inde egeant pro iuribus, authoritate uti, quod non probatur.

6 Oportet itaque, Iudices legibus esse munitos, ut servata ipsarum serie, suo tempore, rectè iudicent, nõ ut contendant, vel subdole loquantur, ut colligitur ex *text. in cap. infames, §. si quis adeo 3. qu. 7. & l. quis, §. 1. de potest.* Turpe etenim est de quæstione differre, ut reducatur in pulverem, quæ postea vento euolat. Scæpè res, nimia, vel importuna discussione, facta est obscurior, *Scacc. de Iud. lib. 2. c. 11. num. 131.* Undè *Seneca: Quid te torques in ista quæstione, quàm utiliùs est contempsisse, quàm solvere?*

7 Sunt homines nonnulli, qui ut docti habeantur penes Vulgum, in cuius aura imprudentissimè fidunt, tota nocte incumbunt ad habendum in memoria aliquid, super quo mane Officialem Iudicem offendunt, importunè quærendo, quid sentiat? Caue: nam cum ignorent Turbæ, totam pro cantilena consumpsisse noctem, haud putant tardi esse ingenij, dum se ostendunt in mendicata oratione Demosthenem, & contra Iuris dispositionem vociferando, quid quid ille respondeat, dignitatis, & officij læditur authoritas, quod est absurdum. Hoc enim congruum, ut à subditis non tam metum extorqueant, quàm reuerentiam impetrent, *Chilo apud Laert. lib. 1.* Ità Imperij loca tenenda sunt, ut non contingat, *Imperantes unà insimul ob benignitatem diligi, & à subditis contemni.* Colere officijs, non exasperare iurgijs, potestatem oportet, *Ioseph. de bell.*



bell. Iudaic. lib. 2. c. 16. Contemnuntur utique Iudices, & Rectores, qui ad disputandum publicè præsertim admittant, sicque non tantùm incongruum, sed turpe; & tanto magis, quòd iuxtà illud *Persij in Satyr.*

*Mille hominum species, & rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Sit ergò morum gravitas, nec huiusmodi hominibus facilis pateat aditus, & iuxtà illud *Horat. 1. Epist. ad Loll. Percontatorem fugito: nam Garfulus idem est.*

*Tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus.*

Magni viri oratio est semper costans, & firmà, *Arist. 4. ethic. c. 3.* Hoc proprium Rectorum, & Iudicũ, celerius necessaria sentire, & tardiùs in verba prorumpere, *Cassiodor. lib. 10. epist. 4.* Vndè Poeta:

*Ne gl' affari più viui
Quello rocca ogni punto, in cui men frale,
E' l' intelletto alla prudenza eguale.*

MONITVM XXII.

Lingue licentia iugiter cohibenda.

SVMMARIVM.

- 1 *Lingua licentia Rempublicam precipitat.*
- 2 *Prudens, qui moderatur sermones suos.*
- 3 *Imprudentiissimi, qui mala loquuntur.*
- 4 *Verba sunt ponderanda ante quàm proferantur.*
- 5 *Quan-*

- 5 *Quando magis cauendum à lingua? refertur.*
- 6 *Sermo qualis esse debet Iudicum, & Rectorum.*
- 7 *Celerius sunt verba audienda quàm proferenda.*
- 8 *Monita diuersorum ad rem.*
- 9 *Carmina Francisci Donnol. in Lyricis.*

C A P. XXII.

I Maximum, & cuiuscumque virtutis dispendium ex locutione, si fines prætergrediatur honesti: etenim, vt docet *S. Greg. PP.* cum intentionem bonam locutio cauta non sequitur, ipsa pietatis proportio in transgressionem, vitium vertitur, dum licentiam linguæ consecantur, vt plurimum, mendacia, peierationes, & asperitates, ex quo facilè leuis sermo volat, facilèque violat, *D. Bernard. in sent.* Vndè non deest, qui scripserit, quòd Rempuplicam, omniaquè alia bona præcipitat linguæ licentia, & Iudex, Rempublicæque Rector, qui verba dispensat inconsultus, & præceps: *sentietaque mala, vti inconsideratus ad loquendum, vt docet Sapiens prouer. 13. a. 3.*

2. Semper ergò vox meliùs generatur in silentio, *Gaufred. apud Tilman. in alleg. & prudens erit, ac sapiens, qui moderatur sermones suos, vt habetur in Prouerb. etenim, teste Horat. de art. poet.*

Nescit vox missa reuerti.

Et lib. 1. epist. ad Loll. ex Viu. decis. 399. nu. 16.

Semel emissum volat irreuocabile verbum.

3. Imprudentissimi sunt, qui mortifera loquuntur, & redi-



redituras per iugulum voces non continent; vnde habetur in *Proverb. 17. c. 28. Stultus si tacuerit, reputabitur sapiens, & intelligens, si compresserit labia sua.* Romani summus Author eloquij, *Tullius*, nullū verbum, quod reuocare vellet, admisit. Lingua proba, probum facit loquentem, & audientem captat, velūt amicum. Nimia facilitate linguæ, amicitijs odia succedunt, *D. Valer. in serm. 5.* Castimoniam ipsam fædat, & commaculat lingua, si turpis, & obscena. Indè *Pictagoras*, vt ad virtutes aptaret ingenia, indicabat silentium. Et fœlices vtiquè essemus, si tam in nostra potestate esset obliuisci, quàm tacere, *Plin. li. 14. c. 32.*

4 Quamobrem verba diligentèr ponderanda sunt, antequàm proferantur, ita vt quid, & de quo, & cui dicas? attendas, quod fuit monitum eiusdem *Vatis loc. cit. ad Loll.*

Quid, & de quo Viro, & cui dicas, sæpè videto.

Deus enim illius labia aperit, qui non solùm, quod loquitur, sed etiam, quando, vbi, & cui loquatur? attendit, *D. Augustin. sup. Psalm. 50.* Et quidem, testante Poeta,

*Optimus est animi lingua thesaurus, & ingens
Gratia, quæ partis mensurat singula verbis.*

5 At magis tunc cauendum à licentia linguæ, cum lætitia animum ipsum mundat, garrula lætitia est, nec prægaudio contineri potest, vt obseruat *Cassiod. in epist.* Annuitquè Latinus *Pacatus*, dum dixit: *Gaudiū, & silentium simul conuenire non posse, etenim res est eloquentissima lætitia.* Sciant idèo Iudices, Reipublicæque

que Rectores, quo tempore loquantur, considerent quid dicant? loquantur congruo tempore, *Carauit. rit. M. C. 102.* Sapiens loquebitur vsque ad tempus, *Proverb. 11.* est odibilis, qui procax est ad loquendum, *Eccl. 20.* Tacitus, & Senatus honorabitur, *Ibid.* Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir, *S. Iacob. 3.* Vnde *Cato*:

Virtutem primam esse puto compescere linguam.

6 Sermonem mente tinctum optabat *Phocio*, vt scribit *Plutar.* At *Seneca* aliter in *Epist.* Vnde inquit: *Sermo ei grauis: nam quemadmodum Sapienti Viro modestior conuenit incessus, ita oratio pressa, nō audax.* Hoc sapientiam esse, inquit *Basil. de seleuc. orat. 42.* Verbis demissionem animi, factis potestatem demonstrare. Nil insuauius aiebat *Dio*, nil onerosius aspero homine colloquente, aut conueniente. Vnde monitum:

Inter extremos mores, vt sis compositus ore.

Sit tamen lingua comis, non assentatrix, & hilaritas animi comitatem præcurrat, ita vt iurgia, iræ, inurbanitates declinentur. Optimum ad primi mali sensum, mederi sibi, tum verbis quoque suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum, *Seneca lib. 3. de ira.* At non sit comitas illa loquendi, quæ solo placendi studio destinetur. Hæc non comitas, non affabilitas, sed assentatio. Comitas commentatur, qua nemini abblāditur immodicè, nec vnquàm malignum aliquod, aut iniurium profert, *Epist. apud Arian.* Urbanitas namque est, in qua nihil absouum, nil agreste, nil inconditum, nil pellegrinum, neque sensu, neque verbis,

T

neque



neque ore, gestuque possit reprehēdi, *Quintil. l. 5. c. 3.* Si que mens in cunctis copiosa sit, & exuberans, sermo temporet, & abstringat, *Lips. manud. lib. 1. dissert. 15.* In his verò, quæ ad officium attinent in ascultando sit Iudex patiens, omnibus audientiam præstando, cum nil tam concitet odium, quam asperitas, & superioris morositas, *Plyn. in laud. Trayan.* omnes enim benignè, & æqua lance audire congruum est, *l. nec quicquam, §. ubi decretum, ff. de off. Procons.* in hac enim patientia Iudicis optima pars iustitiæ consistit, *The-saur. in add. proe. decis. num. 24.* Fuitque dictum *Plinij lib. 6. epist. 2. & Simanc. de Republ. lib. 5. cap. 8.* parte tamen Superiores loqui debent, ut aduertit idem *Simanc. cap. 10.* Non omnibus blandi, sed æqui, ad clementiam proni, iracundiam verò tardi, ita ut rigor disciplinæ mansuetudinem regat, & mansuetudo, moderato rigore, ornet sermonem.

7 Semper tamen aduertant, celerius necessaria sentire, & tardiùs in verba prorumpere, *Cassiodor. lib. 10. epist. 4.* quoniam à veritate non est longæuum, quod nescit pœnitenda loqui, qui proferenda prius suo tradit examini.

8 Pro ut ergò monet *Eccles. c. 20. Verbis tuis facito stateram, & frenum ori tuo.* Verba bis ad limam, semel ad linguam, *D. Berard. in specul. mon.* Suspecta nè sint longa colloquia, amputa, *Senec. in Medea.* Si potes, vno verbo expedi, *Therent. in Phorm.* Lauda parce, vitupera parcius; dum Curia regitur, sit semper grauitas, verba non multa; sed deliberata, & prompta, locumque

cumque habeant plus quam ore, aures, *Auth. de 4. virt. in fin.* Hoc namque verum à Vate traditum:

Graui à suoi Costumi,

Più riuerenza han, nel silenzio i Numi.

MONITVM XXIII.

*Nil aliud tam congruum, quam ut pareant Iudices,
& Rectores rectæ conscientia.*

SUMMARIVM.

- 1 *Conscientia animum verberat.*
- 2 *Perfecto scelere, magnitudo sceleris intelligitur.*
- 3 *Miserius nil est, quam animus hominis male sibi conscius.*
- 4 *Ratio affertur.*
- 5 *Recta conscientia parit letitiam.*
- 6 *Maxima pœna peccantium, peccasse est.*
- 7 *Non est gaudium virtutum sine conscientia.*
- 8 *Rectè viuendum, ac rectè parendum conscientia.*
- 9 *Carmina Andrea Vettorelli.*

C A P. XXIII.

Quam apte homines iniquissimos, mēdacissimos, vanissimos, & insanos esse, qui exprimunt, probitatem vitæ non esse necessariam in Iudice, Reipublicæque Rectore, nemo non intelligit; nec dogma



dogma quidem est ab hæreseos labe integrum; quoniam verum est, quòd Iudices, ac Rectores quicumque, si vitam beatam, gaudium verum, perennem peroptant pacem, hoc præcipuum, scilicèt curare debèt opus, conscientiam rectam: laus vera hæc est, cui perfecta subscribit virtus, imperturbata quies succedit. Nil boni illis, qui mali sint conscij, ex quo animus impurus, Dijs, hominibusque infestus, neque vigilijs, neque quietibus sedari potest. Atrocius morte malum est, vitam conscire malam. Vnde Præcorum adagium: *Cōscientia animum verberat*, & sanè exclamat *Sen. epist. 43.* Oh te miserum, si contemnis hunc testem. Ipse Agrigentinus Tyrannus ultra Taurum nouit sæuire cōscientia, & ne tantùm ingenio Perilli deberet, crudelitatem inuenit conscij animi tormentum, nec aliquis Tyrannorum fuit, qui alicui non indulserit; Nemo, quem aliquis non euaserit; Quem satelles nunquã fefellerit; Conscientia solum temeritatem, nec venia, nec fuga, nec fraus illudit, & allegatum supplicium est post culpam.

Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.

2 Etenim, vt aduertit Politicorum Princeps *lib. 14. anal.* Perfecto demùm scelere, magnitudo eius intelligitur; quod verum esse tradit, sic canendo, *Iuuenal. Satyr. 13.*

*Exemplo quodcumque malo committitur ipsi,
Displicet auctori, prima hæc est ultio, quod se
Nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit Vnam.*

3 Et

3 Et quidem nil miserius est, quàm hominis male sibi conscius animus, vt probant *Sueton. in Tiber.* & *Plaut. in Mustellar.* nam, cum timida sit nequitia, condemnationi dat testimonium, dùm semper præsumit seua perturbata conscientia, vt habetur ex *Mascard. discurs. 4.* Vndè *Statius lib. 2. Thebaid.*

Oscata nocentium consilia, ò semper timidum scelus!

4 Et ratio est, quia cōscientiam à Dijs immortalibus accepimus, quæ diuelli à nobis non potest, *Cicer. pro Cluent.* Vtilitè enim ea data, vt Corrector affectuum, & animæ Pædagogus, vt inquit *Origenes.* Hinc est, quòd teste *Lucretio lib. 3. de natura rerum.*

Mens sibi conscientia facti

Premetuens adhibet stimulos, terretque flagellis,

Nec videt interea, qui terminus esse malorum

Possit, nec qui sit pœnarum deniquè finis.

Et vt aduertit *Lips. lib. 2. de constant.* Impijs hominibus cōscientiæ crucem Deus imposuit, in qua pœnas luunt, antequàm luant, & *Cicer. pro Milon.* Magna vis eis est in vtramq; partem, vt neque timeant ij, qui nihil admiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt. *Vates* propterea:

Heu quantam misero pœna mens conscia donat:

Lucan. lib. 7. de bello ciuil.

Inuigilant animo, scelerisque parati

Supplicium exercent cura, tum plurima versat

Pessimus in dubijs timor, &c.

Stat. lib. 3. Thebaid.

Et



*Et perpetuos curarum pectora morsus,
Fine, quibus nullo conficiantur, habet.*

Ouid. lib. 1. de pont. Et Plautus in Milit. dum inquit:

*At hoc me facinus miserum macerat,
Meumque cor, corpusque cruciat.*

Et clarius idem Naso lib. 2. eleg. ibi dum canit:

*Multa miser timeo, quia feci multa proteruè, ex-
ploq; metu torqueor ipse mei.*

5 Ideò caue Christiane Iudex, nè Diuinam iram la-
cesses, & si nunquam vis tristis esse, bene viue, *Isidor.*
Silolog. lib. 2. Sola namque conscientia recta parturit
lætitiâ, & serenum, festiuumq; animum reddit, nilq;
gloriosius, quàm theatrum infantis conscientia, vbi
certant, discurrentque virtutes mundissimo velut in
campo: siquidem aurea est illa *Diui Augustini* sen-
tentia 21. *de Ciuit. Dei.* Tranquillitate nempè con-
scientia nil excogitari posse beatiùs, dum, teste eodem
Vate 1. fact.

*Conscientia mens, ut cuique, sua est, ita concipit
Intra pectora pro facto, spemq; metumque suo.*

6 Proinde omnis vilis est poena, vbi pura est comes
conscientia, eaque libertas est, quæ pectus purum, &
firmum generat; contra verò serviles, & lugubres ani-
mos ipsius poenæ seruos culpa creat. *Prima, inquit Sen.*
epist. 97. & maxima peccatorum est poena: Peccasse; nec
vllum scelus, licet illud exornet fortuna muneribus
suis, licet tueatur, & vendicet, impunitum est, quoniam
sceleris in scelere supplicium est. Et clarius *Isaia* dum
ait:

ait: *Cor impij, quasi mare feruens, quod quiescere non po-
test; ita vt sanè scribat Seneca Trag. in Hyppolit. dum
ait:*

*Tutum esse facinus credis, & vacuum metu?
Erras &c.*

Et certè errant, qui ità credunt: nam prima delicti
poena conscientia est: cum supplicio careat, inest illis
aliquid alterius mali ipsa impunitas, *Boet. lib. 4. de
conf.* dum nullus molestior oculus cuique suo non est
aspectus, quàm tenebrofa conscientia, suffugere magis
velit, minus possit, *D. Bernard. lib. de confid.* & est do-
ctrina *S. Augustini*, qui ait: *Iussisti Domine, & sic est, vt
omnis inordinatus animus sit poena sibi.* Suus cuique
animus, inquit *Salustius*, ex conscientia spem præbet;
conscientia namque mille telles; Nec crimen quis in
pectore gerit, qui non idem *Nemesin* in tergo, *Lips.*
lib. de const. c. 13.

7 Sapiens, inquit *Seneca*, semper agere debet cum
gaudio, nec est gaudium virtutum sine conscientia.
De Regente Republicam, qui à conscientia regitur,
canit *Horat.*

*Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

Aliàs vtique secus, ex quo nil bene malitia cogi-
tatum, nil bene auctum est.

8 Estote igitur perfecti, monet *Euang. Matth. sicut,*
& *Pater vester Cælestis perfectus est;* maxima enim
pars peccatorum soluitur, si peccatorum testis assistet,
Senes. vel. D. Vener. & iuste, recteque viuendi, teste D.
August.



August. necessitas indita est, quia cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis, cōscientia homini relicta est à Deo, ut lex intima. Inde honestas, & virtus proprium iubar, magnamque lucem habent in animo, siue videat aliquis, siue lateat omnes, Deos, & homines, ut aduertit *Plutarch.* *Fœlix, criminibus, nō eris diu, Auson. in Cleobol. sent. siquidem testante Vate:*

Dopò una colpa sola

Esser non può già mai pace nel core,

Perche soua del crin acciò non cada

Softiene vn debil fil vindice spada.

MONITVM XXIV.

Habenda præ oculis conscientia non tantum, sed fama, conscientia propter Deum, & fama propter Homines.

SUMMARIVM.

- 1 *Decor Regentis est fiducia fidelis conscientie, & decor summus splendor bonæ famæ.*
- 2 *Ex conscientia, & fama virtus summa oritur Iudicibus.*
- 3 *Ratio affertur.*
- 4 *Conscientiam nec Ratio status expellit.*
- 5 *Tueri conscientiam, & famam, necesse est, & quare.*
- 6 *Quid agendum per Iudices, & Rectores, ut bonam famam habeant.*
- 7 *Carmina Hieronim. Præf.*

CAP.

C A P. XXIV.

NUnquam dimittenda est rectæ conscientie tutela, ac bonæ famæ; longèque ab honesto utique illi distant, qui omnia sua mentiuntur utilitate. Hæc siquidem duo, ut docet *S. Ambr.* adeo sunt necessaria Iudicibus, ceterisque cunctis Regentibus: conscientia nempe propter Deum, & fama propter homines. Hæc quam exterius intueatur, illa, quam intus aspiciat. Quid enim prodest, si quempiam laudent omnes, quem conscientia incuset? Ut lex intima à Deo relicta est, ut lux eorum, quæ peraguntur æterna; sine hac lege, sine hac luce nil honestum meditatur homo, aut iustitiæ Administrator; ex quo Regentis decor est fiducia fidelis conscientie, & decor summus splendor bonæ opinionis.

Non sat est, inquit Terent. in Phorm. te officium fecisse tuum, id si non fama approbatur. Vnde hortatur *4. annal. Tacit.* vnum insatiabiliter parandum, prosperam nempe sui memoriam. Hominum immortalis est infamia, etiam tunc vivit, cum credas esse mortuam, *Plaut. in Pers.* adeo quod famam bonam amittere, peius est, quàm nobilissima quæque, dum, *Tito Livio* teste: hæc sunt damna, quæ possunt existimari maiora, famæ, & fidei; Vnde *Horat. canit Satyr. 2. lib. 1.*

Fama malū grauis, quàm res trahit, an sibi abūde?

Personam satis est, non illud quicquid ubique

Officit, euitare, bonam deperdere famam.

2 Et quidem qualis Iudex, qualisque sit Rector, ipse
V noscet,



noscet, si potest, aut tanget ad lapidem illum Lydium
communis famæ, ex quo fama, seu virtutis nomen su-
perest tantum, cætera verò mortis sunt, & iuxta illud
Quid. 2. pastor.

Fama manet facti, posito velamine currunt,

Et memorem famam, qui benè gessit, habet.

Quod nec fuit opertum, dum scripsit *Plaut. in Mu-
stallar.*

Ego si bonam famam mihi seruaui, sat ero diues.

3 Nec abs re, quoniam, si *Plinio* sit adhibenda fides,
est utique verum, tales nos esse credendos, qualis est
fama cuiusque, ut inquit in *Panegyri*. Ita quòd, & Rex
Regum, & Dominus Dominantium, etiam quærebat
cum esset in Terra: *Quem dicunt homines esse filium
hominis?* ut *Euangelist.* testatur. Contemptu namque
famæ, contemnuntur quoque virtutes, *Tacit. 4. annal.*
Inde bonique erit Regentis, cum intimis animi vir-
tutibus externam amare famam, *Epiphan. ad Theod.*
Ital. Reg. quoniam est vniuersè verum, quòd bona cõ-
scientia, & fama Reipublicæ itant, & solidantur, ut in-
quit *Tullius*, sed vna earum nutante, omne nutat Im-
perium.

5 Hanc apertissimam veritatem, nec quidem negat
ipsi Pseudopolitici: nam eorum, & attenda doctrina,
Ratio Status conscientiam non expellit, quæ tamen
famam semper admittit. Vnde *Tiberius* ad Senatum
Romanum, per *Tacitum*, documenta transmittit:
*Tueri conscientiam, & famam, quibus veluti admini-
culis Deorum ope, finis non agnoscit Imperium.* Quod

voluit etiam *Diagoras* annuens, quòd si hæc duo adhe-
reant Regentium, aut Senatorum animo, splendescunt
maximè fortunata Regimina. Et re vera, quid rerum
humanarum fama cariùs? quæ iure est bonis, ante bo-
na omnia, & ipsam vitam. Opes, & vita caduca sunt,
& fluxa, & opes quidem ante nos soepe, vita nobiscum
semper abit, nomen autem, & fama æternant, eaque
sola, cum non erimus, hic erunt, *Lips. ex orat. de calum.*
Ut Sol in Aurora tenuior assurgit, & inclarescit; sic ex
virtute, & meritis fama cum æuo ipso augetur, & cre-
scit, idem *Lips. in monit. & exempl. Polit. cap. 18.* Qua-
propter Rectores, & Iudices, iure cauere debent, qua-
lem famam habeant; qui qualemcumque meruerint,
magnam sint habituri, ut scribit *Seneca 1. de clem.* &
cogitare insuper, cæteris mortalium in eo stare con-
silia, quod sibi conducere arbitrentur, Regentium di-
uersam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam
dirigenda, *Tacit. loc. cit. 4. annal.* Etenim Regentis fa-
cultas tunc fit ditior cum remittit, & acquirit nobiles
famæ thesauros, neglecta utilitate pecuniæ, *Cassiodor.*
lib. 1. epist. 16. idèque, ut oratur *Horat. satyr. 2. lib. 1.*

Officit euitare bonam deperdere famam.

9 Cauete ergò quicumque imperatis, cauete muscas,
quæ perdunt suauitatem vnguenti, bonam nempe fa-
mam, ut monet *Torre de optim. Princip. cap. 64.* me-
tuendæ enim vituperationes, etiam si falsæ sint, *S. Isi-
dor. Pelus. epist. 124. lib. 4.* dum meliùs, ut qui impe-
rant, suorum flagitijs occurrant, sicque famam suam ab
omni labe sinceram, integramque conseruare stu-



deant; quàm vt inquinatam suscipiant expurgandam,
Torre *ibid.* in fine.

6 Ea igitur omninò, siue publicè, siue priuatim deli-
beranda non sunt, in quibus turpis est ipsa delibera-
tio: *Inexpiabile Reſtoris facinus est, si proprij causa com-
modi pietatem ledat, Religionem contemnat, sibi uni,
uniuersã posthabeat Rempubicam.* Monitum est Pla-
tonis: Actiones prius esse discutiendas, & legi honesta-
tis adaptandas, antequàm in deliberationem prouo-
cent consilia. Qui conscientiam habent, ac famam bo-
nam desiderant, utique tenere debent, iuxta illud *Per-
sij satyr. 2.*

*Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*

*Sitque opportunum, quod, & scribit Iuuenalis sa-
tyr. 8. ibid.*

*Expectata diu tandem Prouincia cum te
Rectorem accipiat, pone iræ frena, modumq;
Pone, & auaritia, miserere inopum, &c.*

Respice quid moneant leges, &c.

7 Magnæ liquidem virtutis est, cum foelicitate luſta-
ri, magnæ foelicitatis à foelicitate nò vinci, *D. August.
tract. 13. ver. Dom.* & prout habetur ex sacris literis
in *Eccl. c. 3. Illi erit gloria, qui potuit trasgredi, & non
est trangressus; vnde, & vulgò:*

*Non hà colui dall'innocenza i vanti,
A cui con gl'agi, e le ricchezze ignote,
Mà colui che non pecca, & peccar puote.*

MO.

MONITVM XXV.

Vis Affectuum cohibenda:

SUMMARIVM.

- 1 *Alijs qui præst, vacuus debet esse affectibus.*
- 2 *Bonus Iudex quid facere debeat? refertur.*
- 3 *Viueret debet, ut nulli seruiat cupiditati.*
- 4 *Qui imperat, sibi primum imperare debet suos coher-
cendo affectus.*
- 5 *Affectus quid sit? describitur.*
- 6 *Non est virtus ab affectibus vinci.*
- 7 *Vincere, & superare affectus, summa victoria est.*
- 8 *Carmina Innoſe Commendatoris in Lyricis.*

CAP. XXV.

I Neptè quis sibi blanditur, rectè posse iudicare, & Ré-
publicam foelicitèr gubernare, vi affectuum non
cohibita; Ideòque sanè continentix virtutem hanc,
nec alienam à Iudice puto, & Christiano Reſtore, cū
continentis sit ratione cohibere posse cupiditatem.
Receptum est proinde dogma, vt vacuus sit affectibus,
qui alijs præst, *Tacit. libr. 2. annal.* Quod quidem de-
cet omnes, qui de rebus consultant, vel iudicant: nam
haud facilè animus prouidet verum, vbi illi officiant,
vt obseruat *Salust. in Catill. com.* & *Boet. metro 5. lib.
3. dum ait:*

Qui

Qui volet esse Potentem,
 Animos domet ille feroces,
 Nec victa libidine colla
 Fedis submittat habenis;
 Etenim, licet Indica longe
 Tellus tua Iura tremiscat,
 Et seruiat ultima Thule,
 Tamen atras pellere curas,
 Miserasque fugare querelas,
 Non posse; Potentia non est.

2 Bonus Iudex, nec pretio, nec amore, nec odio, nec favore iudicat, *text. in cap. Episcopus, §. si ergo 11. qu. 3.* Non voluntati suæ obtemperare debet, sed legibus, eiusque cordi magis esse debet custodia veritatis, quàm obedientia voluntatis, *Cirill. fulg. in summ. crim. tit. de sent. §. unic. num. 7.* Nil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges, & iura pronunciat, statutis Iuris obtemperat; nil præparatum, & mediatum de domo defert; sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet natura, decernit; obsequitur Legibus, non aduersatur; examinat causæ merita, non mutat, *text. in cap. iudicet 3. qu. 7. Vin. decis. 401. nu. 58. vol. 2.*

3 Ita viuere, scribit *Tull. ad Syll. ut nulli seruias cupiditati, Regium est.* Rex eris, secundùm Philosophos, si te, tuosque affectus rexeris; Rex eris, si te regat ratio, non passio, cui annuit *Claud. dum canit:*

Tunc omnia iure tenebis,
 Cum poteris Rex esse tui.
 Istud primarium, & summè Regium est, sui ipsius esse

esse Regem, mentemque domesticæ belluæ, quasi moderatricem perficere, *Sinnesius ad Arcad. orat. de Regent.* Qui vult expellere etiam Demones, inquit *Pallad. in vita Abba. Phitriion.* is priùs in seruitutem redigat prauas animi affectiones, aliàs qui famulatur cupiditatibus, seruus dicitur abiectus, nec vnquam benè reget, dum omnis animi motus tanquàm ventus ipsum defert, *Tull. de clar. orat. nu. 72.* & quantuscumque sit affectus, parere nescit, consilium non accipit; ex quo quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non færum, non domesticum, non mite, cū sit natura illorum suadenti surda, sic non sequuntur, non audiunt affectus, *Senec. epist. 85.* Ita vt veridicum experiatur, quod inquit *Terentius in Heaut.* Vbi animus se cupiditate deuinsit, mala, necesse est, consilia consequi consimilia; quia, vt oculi, vbi glaucoma obsidet, puritèr non vident; ita mens, vbi affectus, *Lips. epist. 97.* Et ideò in virtute est, qui affreni caret affectu, & aiunt *Cato, & Tullius,* quòd Vir, qui animum vicit, simillimus est Deo, & melior est patiens viro forti, & expugnatore Urbium, qui dominatur animo suo, vt habetur in *Proverb. 16. cap. 33.* ita vt cum veritate exprimat à *Cicer. ad Syll.* nullam victoriam, quàm sui esse maiorem, ex quo:

Ardua res est vicisse alios, victoria maior
 Est, animi fluctus composuisse sui.

Et ideò sanè hortatur *Isocrates, Nicodem. orat. de Regn.* ita scribens ad eum: *Imperia tibi ipsi, non magis, quàm cæteris.* Idque maxime Regium putato, si nulli
 volup.

voluptati seruias, si cupiditates magis in potestate habeas, quàm Ciues tuos, & est Diuinæ vocis oraculum: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illis.* Nec extra rem *Horatius*, dum canit:

*Latiùs Regens, auidum domando
Spiritus, quàm si Lybiam remotis
Ladibus iungas, & uterque pænis
Seruiat uni.*

5 Est autem affectus spontanea, & suavis animi ad aliquem inflexio, *Cassiodor. de amic.* vel sentientis animæ ex boni, vel mali opinione, natæ commotiones, vt ait *Cicer.* Et ideò, vt in corpore ægro, & corrupto, quicquid infertur, limentum est morbi, & abit in noxam; sic in homine, qui internum illud non depurauit pectus, fontem scilicèt, & originem cupiditatum, *Lips. cent. 1. epist. 40.* Mare, qui influunt falsuginem eius sicut non mutant, sic in Iudice quicumq; affectus nè diluant iustitiæ sæueritatem, *Ibid. epist. 56.* Vnde inquit *Causin. de eloq. tit. de affect. cap. 2.* quam feraces ludas affectus ludant, testis est humana Natura à primi Parentis lapsu permolesta variorum affectuum tyrannide violentè abrepta, vt non immeritò quærat *Philo*, veluti arcam Noemi bestias, ita in corpus humanum affectionum motus, immanes quasdam, & indomitas feras post hæc Naturæ labem esse admissas.

6 Impossibile proinde est, eius extimare virtutè, cuius vinci victoria est, *Zen. in serm. de Pat.* Turpe dum dicitur, quod de Alexandro scribit *Senec. epist. 113.* ibi, *Id enim egit, vt omnia potiùs haberet in potestate, quàm affectus*

affectus. Nil vile, nil cupidum Iudices decet, & de Principe tradit *Euagrio lib. 1. hist. Eccl.* vt sibi primùm imperet, suosque affectus cohærceat, dum optimus dicitur, qui sibi, suisque cupiditatibus non famulatur.

7 Et quidem, imperare sibi, imperium est. Vnde *Senec.* loco cit. subdit: *Doceat me quàm Sacra res sit iustitia alienum spectans bonum, nil ex se petens, nisi usum sui; nil sit illi cum ambitione, & sibi placeat fama.* Hoc ante omnia sibi persuadeat quisque. *Me iustum esse gratis oportet.* Quando contigit, idem *Senec.* ait *epist. 81.* omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium abductis hanc emittere vocem? *Vici. Quem vicerim? queras; Non Persas, nec extrema Medorum, nec si quid ultra Dahas bellicosum iacet, sed auaritiam, & ambitionem, que victores gentium vicit:*

*Quel è valor superno,
Che in priuata tenzon col proprio affetto
Sà combattendo esercitare vn petto.*

8 Vt prudentèr aduertit *Innoioso Commendator* in *Lyricis fol. 4.* nam teste eodem

*Glorie acquista chi pugna
Contro voglie tiranne, & chi non cede,
E di fama immortale illustre herede.*

MONITVM XXVI.

Non quod lubet; sed quod Honestum faciendum.

SVMMARIVM.

1 *Impij est facere, quod lubet.*

X

2 *Non*



- 2 Non omne quod lubet, fas est.
- 3 Quod non est honestum, non putatur bonum.
- 4 Ratio affertur.
- 5 Rectores unde dicti? declaratur.
- 6 Quales esse debent, & qui verè tale nomen merentur.
- 7 Regentis obiectum quale.
- 8 Iusta, & honesta facere debent.
- 9 Mali, vel rari, vel nunquam imperio gaudent.
- 10 Carmina Donnol. in Lyricis.

C A P. XXVI.

Impossibile dictu est, quàm impia, & nefaria scelestissimi sit vox, ex *Sen. Trag.* dum inquit: *Quod non potest vult posse, qui nimium potest*; ita vt dicere audeat, iuxta illud *Iuuenalis satyr. 6.*

Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas.

Cum pariter scelesto illo, *Spart. in Anton. Caracal.* licet, si libet; vel alio scelestiore, qui non veretur factis seruare, ac voce canere impijssimum dogma:

Conuettare iuuat prædas, & viuere rapto.

- 2 At absit hoc, absit. Non omne quod lubet, fas est, nec est eadem, & vna agendi potestas, & voluntas, id dumtaxat bene possimus agere, quod sine crimine possimus velle. Vnde *Claudian.*

Non tibi quod liceat, sed quod fecisse videtur,

Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Facere quod lubet, insipientia est, ac temeritas stultissima, *Liu. lib. 22.* Maxima namque fortuna mini-

ma

ma licentia est, vt inquit *Salust.* Malus ille vtique, qui ex magna fortuna licentiam tantum vsurpat, *Tacit. 4. histor.* etenim tãto maius peccatum est, quanto peccans est dignior. Vnde *Iuuenal. satyr. 8.*

Omne animi vitium, tanto conspectius in se

Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

- 3 Idcirco, id facere laus est, quod decet, non quod lubet, *Sen. in Octau.* Cum Deo præstante possimus omnia, sola nobis credimus licere laudanda, *Cassiod. lib. 10. epist. 160.* Hinc est, quod inquit *Terent. in Adria.*

Quoniam non potest fieri id, quod vis,

Id velis, quod possis.

A Barbaro istud barbarum: In summa fortuna id equius, quod validius, ex *Tacit. 15. annal.* Sed caue: Minimum debet licere, cui multum licet, *Sen. in Trohad.* Non fas, potentes fieri posse, quod nephas, ex *Euripid.* Etiam malos Principes faciunt nimia licentia, rerum copia, & amici improbi, *Vopicus in Aurel.* Hoc semper studui, inquit *David. vt nè latam quidem unguem ab honesto discederem, Meron. in Aula David. cap. 11.* & non solum in publico, sed etiam in intimis domus recessibus, innocentiam seruarem, optimique Regis officio fungerer, vt *ibid.*

- 4 Et sanè ex eo, quia Rectores omnes meminere debent, non solum quantum sibi commissum, sed etiam quantum eis sit permissum, *Tull. in orat. pro Rub.* Claras enim maculas reddunt illi, ad quod multi respiciunt, si antiqua reprehensione sordescunt, ex *Cassiod.* Sicque vnum est hominis proprium bonum, ratio,

X 2 quæ



quæ noscenda, & colenda, *Lips. Phitiol. lib. 3. diff. 3.*

Sed non nè ratio dicat, vel æquum esse videtur Plebeculam furtis, ac expilare dolis. Homines ali, & foueri, qui impia palam oblatrant honestatem lenocinijs, & philoris fœde corrumpere, sine pudore mentiri, cuncta contaminare: ò genus infidum! Apage ergò Christiane Iudex, ac Reipublicæ Rector, aures obtura Atheis, dum factis, ac dictis venenant animû: Siquidem fatui rectè dicuntur illi, qui omnia sibi ipsis permilla existimant; ex quo prudentia est virtus dirigens ad rationis normam vniuersa, quæ cogitat, & agit, & nihil præter rectum, & laudabile facit, *Macob. in somn. Scipion. lib. 2. cap. 8.* & vt canit *Pers. satyr. 5.*

Stat contra ratio, & secretam genuit in aurem,

Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo,

Congruum proindè, quod hortatur *Plin. in panegy. dicens: Nil amplius vis tibi licere, quàm nobis.* Et *Mæcen. apud Dionis. lib. 3. Si omnia, quæ alium quemuis in te imperantem facere velles, ea ipse tu faceres, non peccabis quidpiam, & omnia ritè diriges, & vitam ex eo incundissimam simul, & tutissimam viues, & Dei monitum est, Matth. 13. c. 12. Quod tibi non vis, alteri ne feceris, & quodcumque vultis, vt faciant vobis homines, id facite illis.* Ideòque non decet Iudices, ac Populorum Rectores temerè quidquam agere, *Xiphil. in Mar. Aurel.* Turpe, ac incongruum, si quod licere sibi non patiuntur, subditis indicant, *S. Isidor. cant. 1322.* Propterea, vt monet *Auson. in Cleobol. sent.*

Hoc facito, vt tecum animos cogites,

Quam

Quàm vos facillimè agitis, quàm estis maxime Potentes, diuites, fortunati, nobiles,

Tàm maxime vos equo animo, equa noscere oportet.

5 Rectores à regendo dicti sunt; qui rectè faciunt, Rectoris nomen merentur; aliàs peccando amittunt, *S. Isidor. loc. cit.* Et pro vt scribit *Auson. in Monof.* Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex. Itaque corde innocens sit, qui regit, & iudicat, & talis corde innocens definitur ab *Eusebio*, qui prauarum cogitationum ex corde prodeuntium expers sit, *Moron. loc. cit. c. 13.* Culpa serviles animos creat, neminemque malent certiora supplicia, quàm illum, qui multos vitiorum discipulos facit, *Beat. Nylus in opus.*

Impium, quod non potest, vult posse, qui nimium potest; siquidem vitiorum labe sordescit splendor ille ciuilis, qui nulla criminis nota deberet coinquinari; quare *Cyrus* apud *Xenoph. de Ped.* rectè censebat, non conuenire cuiquam Imperium, nisi melior esset ijs, quibus imperaret; & non sine ratione, quia iustitia, & virtus, quæ sunt bases regendi, adesse non possunt cù scelerato, *text. in cap. forus, extra de verb. significat.*

7 Illud est Regentis obiectum, quod iustum est, *Arist. 5. polit. cap. 10.* Et nihil aliud iustum est, nisi quod lege est; quod verò est contra legem, non iustum, sed violentum, *Xenoph. lib. 4. memorab. fol. 636.* non iustitia, sed iniuria, *Plat. lib. 7. in min.*

8 Propterea, quæ sunt inhonesta, non quasi illicita; sed saltèm quasi pudenda euitare oportet, *Plin. epist. 14. lib. 5.* Sicut anima corpori præest, & animæ ratio,

fic



sic Gubernator hac regit Populum, & ipsum eadem illa ratio, *Lips. dissert. ad Princip.* Et regulam, ad quã cœtera adequantur, sicut oportet esse rectam, sic meritò Gubernantem, ad quem alij diriguntur, *ibidem in not. politic. c. 9.* Voluptas est malorum esca, quia nõ minus homines, quàm hamo capiuntur pisces, *Plant. in mercat.* Nunquàm ergò discedat vtile à decoro, *Auson. in Periandr. sent.* dùm, re vera, nil magis proprium, quàm legibus, & iustitia viuere, *text. in l. 2. C. de testam.* si secus, crit sanè lugendum illud Reipublicæ malum, quo refractis pudoris, atque innocentie claustris, ità viuatur, vt spretis melioribus, valeant potestate deterrim; *Qui namque sibi nequam est, nec alijs bonus erit, Eccl. 14. c. 5.* Monitum ergò congruum ad Christianum Rectorem est *Plauti in Mustella,*

Vitam quam sit brevis, simul cognita quidem.

9 Nemo malus benè moritur, nemo bonus, malè. Vndè hortatur *Petr. Caram. super elucidat. Psalm. 19. in fine,* disce igitur viuens mori, quod semel fit. *Ne impiè ideò agas multum, inquit Sapiens Eccl. c. 7. vers. 18. nè moriaris tempore non tuo.* Duplex est enim vitæ periodus, vna scilicèt à natura, altera à Deo constituta: Hæc semper certa, & fixa, nec augeri, aut minui potest; Illa breuiari à Deo, vel ampliari potest, & de factò in multis ampliata, vel breuiata est. *Sunt enim sublati iniqui ante tempus suum, Eccl. c. 22. num. 15. & explicat Cornel. à Lapide c. 28.*

Idcirco ità viuendum in Imperio, vt dici possit, se nil fecisse, quominus posset deposito Imperio priuatus tuto

Monita de Virt. Christ. Iudicis, C. XXVII. 167
tutò viuere. Imperat Nerua ex *Lel. Bisc. lib. hist. 68.* ex quo si miserum est voluisse praua, potuisse miserum est, *Bon. lib. 4. prof. 4.* Et non fabulante Poeta:

Doue è un gioco

Deble leggi il rispetto, il male hà loco.

MONITVM XXVII.

Mens bona Pudore fouenda.

SVMMARIVM.

- 1 Pudor hominum ornamentum est.
- 2 Qui particeps non est pudoris, est indignus humana societate.
- 3 Refertur dictum Vegetij de Pudore.
- 4 Custodiendus pudor, nam amissus non redit.
- 5 Pudor facit cessare ab illicito.
- 6 Quem non pudet, est certum, esse sentinam malorum omnium.
- 7 Propertius in pudore reponit securitatem non peccãdi.
- 8 Prius pudore tantum regebantur homines.
- 9 Qui non habet pudorem, non potest habere virtutem.
- 10 Vestiat æquè Reçtoris animus pudor, & corpus robur.
- 11 Carmina Francisc. Donnol. in lyricis.

C A P. XXVII.

- 1 **O** Rnamentum non tantum iuuentutis pudor, Seges veræ gloriæ, & doctrinæ, *Lips. cent. ad Ital.*

Ital. & Hysp. epist. 10. Sed cunctis datus est, quasi stimulus, & Pedagogus ad euitanda mala, dum sine verecundia nil rectum esse potest, nil honestum, *Ibid. in manud. ad Stoic. Phyl. differt. 13.* Imò pudore amisso, sceleribus omnibus apertus est aditus, dum re vera:

*Quis peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attritum de fronte ruborem.*

2 Qui particeps pudoris non est, vti calamitas Humanæ societatis tollendus est de medio, vt iussit Legislator *Plat.* siquidem pudor in animo, & in vultu rubor, duæ gemmæ pulcherrimæ sunt, *Lips. ex mil. Rom. dial. 10.* Et ipse pudor est, qui mentem accendit, & vires, *Virg. 5. Aneid. & Sill. Italic. lib. 1. bell. pun.*

*Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus presta loco.*

3 Quare scribit *Veget. lib. 1. c. 7.* quòd honestas idoneum militem reddit, verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem. *Ignavis namque, Tacit. testante, nec in victoria decus, nec in fuga flagitium, & contemptu fama contemnuntur virtutes.*

4 Cautè ideò custodiendus, & retinendus est: nam semel amissus pudor, non reddit, iuxta illud *Senec. in Agamenn.*

Redire nescit, dum perit pudor.

Irreuocabilis enim est, si fides sit adhibenda *Horat. dum scribit in Argoneut.*

Et non reuocabilis unquam

Cessit ab ore pudor.

5 Est autem verecundia pudor ille, vel timor, per quem

quem cessamus ab illicitis, *R. Rouit. dec. 92. nu. 21.* & ad hunc hortatur *Tull. Philipp. 3.* dum ait: *Ad decus, & libertatem, cum nati simus, aut hæc teneamus, aut cū dignitate moriamur.* Quicumque cupit cognoscere, an quis bene, vel male agat? videat, si pudet: nam rubor est veritatis color, qui de venenato murice nequit generari; Adeò quòd inquit *Plaut. in Bacchid.* *Ego illum perisse duco, cui quidem perijt pudor: hic namque est, qui hominem à peccando tutum reddit.* Quare *Senec. in Hippolit.*

*Obstare primum est velle;
Pudor est secundus.*

6 Quem non pudet, certo certius est, sentinam esse cuiusuis immaginæ infamiæ, aliorumque vitiorum omnium esse cloacham; quod probat *Tacit. 6. annal.* vbi de Tiberio scribit, quòd tunc in scelera simul, ac dedecora prorupit, post quàm remoto pudore, ac metu, suo tantum ingenio utebatur.

7 Hocque ita verum est, vt *Propert.* ponat in pudore non peccandi securitatem, & de Cinthia scripsit:

*Nil inuita tristis custodia prodest,
Quem peccasse pudet, Cinthia tuta est.*

8 Visque pudoris est tanta, vt olim, teste *Ouid. 1. fastor.* solus erat sufficiens pudor ad regendum Populum, ibi:

*Proque metu Populum sine vi pudor ipse regebat,
Nullus erat iustis reddere iura labor.*

9 Qui ergò pudorem non habet, non poterit vllam aliam habere virtutem; ex quo pudor, seu verecundia,



vel est virtus, vel saltè cum virtute coniuncta, *Euripid. in Hippol.* Effrontes semper iure deplorati: nam sicut verecundus rubor sani cordis imaginem prodit, & animum pandit omni virtute roboratum; ita vitioforum facies sunt diuersæ, omnes sine pudore, quia discors est vitioforum sodalitiū, & satellitum. Verecundis vna facies, quæ generosam animæ publicat honestatem.

10 Vestiat propterea æquè animum pudor, & corpus robur, opus est. Et ò fœlicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! ò felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet! *Senec. epist. 11.* Vnde pollicitatur, ita *Terent. in Adelph.* Erubuit? *Saluares est.* Agant proinde talitèr Iudices, ac Rectores, vt non sit pœnitèdum, nec causa cuiusque erubescèdum,

11 aliàs, pereat Respublica, necesse est, si pudori, probitati, virtuti nil sit loci; siquidem testante Poeta:

*Chi vergogna non haue, in se prescritto
Tien per preggio d'honore ogni delitto.*

MONITVM XXVIII.

Ciuiibus, & Populo vita Iudicis, & Reſtoris, veluti exemplum obijciendum.

SVMMARIVM.

1 Superior quisque speculum est omnibus.

2 Exem-

- 2 Exemplo magis docere debet, quàm verbis.
3 Ratio affertur vsque ad num. 8.

C A P. XXVIII.

1 Superior quisque speculum est omnibus, in quo occultum vitium adesse non potest; Vnde inquit *Claud. de 4. Honor. Consulat.*

*Hoc te propterea crebo sermone monebo,
Vt te totius medio Telluris in Orbe
Viuerè cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari Regalibus unquam
Secretum vitijs: nam lux altissima fati
Occultum nil esse finit, latebrasque per omnes
Intrat, & obtrufos implorat fama recessus.*

2 Qui ergò perficitur ad regimen, talitèr erga disciplinam subditorum prestare se debet, vt non solum autoritate; verum etiam bonitate clarescat, *Scoppa in Menex. de Republic. §. 4. nu. 22.* nam ad gubernandum alios electi, cum sint primi in Ciuitate, ab eorum moribus Ciues exempla capiunt, eorumque imitantur vestigia; magis enim docetur exemplo, quàm verbis, vt ait *Senec.* dùm potius exemplo malunt homines, quàm verba, *Lactant. lib. 3. de diuin. inst.* ex quo loqui facile est, prestare verò difficile, quantoque alterum altero difficilius est, tanto vtilius, atque prestatius, *Scoppa ubi supr.* & idè, teste *Plin. in paneg.* non Imperio est opus, sed exemplo. Vnde *Ouid. 13. metamorfos.*

Y 2

Deni-



Denique quid verbis opus est? spectamur agendo.

Et lib. 2. fastor.

Non opus ergo est verbis, credite rebus.

Ac Terent. in Heauson.

Tene isthuc loqui: non ne flagitium est, te alijs consilia dare:

Foris sapere, tibi non posse auxiliari.

3 Et quidem probrum patrem esse oportet, qui gnatum suum probiorem, quam ipsius fuerit, postulet, Plaut. in Pseudol. Vis tuos bonos? inquit Lips. 2. politic. c. 9. ipse esto; solutos, & malos te solve. A domesticis namque volumus inchoare disciplinam, vt reliquos pudeat errare, Cassiodor. lib. 10. epist. 5. Siquidem nulla res magis animos honestate induit, & in prauum declinantes reuocat ad rectum, quam boni viri consortium, & exemplum. Idcirco necesse est, vt is, qui præst, quæ exempla subditis præbeat, solertè attendat, & tantis se sciat viuere, quantis præst, S. Greg. lib. 24. moral. cap. 30. Ducatum non debet suscipere, qui nesciat homines bene viuendo præire, nec, qui ad hoc eligitur, vt culpas aliorum corrigat, quæ & reserare debuit, ipse committat, S. Greg. loc. cit. Qui alterum inculat probri, ipsum se intueri oportet. Quis enim vult Iudicem causæ alienæ, vt aduertit D. Ambros. quæ videt inutilem vitæ suæ? Impossibile est, vel certè admodum difficile, vt qui ipsi opera non tractant, peritè valeant iudicare, Arist. 8. politic. c. 6. Longum iter est per præcepta, Breue, & efficax per exempla, omnesquæ dociles sumus turpibus, & prauis imitandis, dum iusta illud Iuuenal. satyr. 74.

Sic

Sic natura iubet velocius, & citius nos

Corrumpunt vitiorum exempla.

4 Quod præsertim multo magis locum habet, & verissimum experitur in Superioribus cunctis: De Rege canit Claudian.

Nos sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quàm vita Regnantis.

Et aliàs quoque de militum Duce in lib. 1. in Stilichon. laudes, ibi:

Scilicet in vulgus manant exempla Regentium,

Vtque Ducum Lituos sic mores Castra sequuntur,

Et de Iudice clariùs Naso 6. fastor. canit:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,

Cum Iudex alios, quod iubet, ipse facit.

5 Et docet Capiblanco in rubr. de Baron. nu. 65. quòd magnam parendi imponit necessitatem Superior populo suo, cum non tantum verbis præcipit, sed exemplo præsit. More debet adimplere, quod docet ore, & tunc populus eius præceptis facillimè obsecundabit, aliàs à Populo subsannabitur, Mastrill. de Magistrat. lib. 2. c. 2. nu. 31.

Vt enim in corporibus, sic in Imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur, Plin. lib. 4. cap. 22. Grandis est eorum dignitas, sed grandis ruina, si à Recto Iudices vnquam declinent, & Rectores, vel scelus aliquid patrent, nam præ oculis omnium sunt, eorumque gesta accuratiùs examinantur, Scoppa cit. §. 4. nu. 10. & vt inquit Pater. lib. 2. tit. 3. Non consistunt exempla, vnde cæperunt; sed quamlibet in tenuem recepta

tra-

tramitem latissime euaginandi sibi viam faciunt, & ubi semel recto decurratum est, in præceptis perueniunt, nec quisquam sibi turpe putat, quod alteri fuit fructuosum. Inficit omnes malos affectus Superior, ut habetur ex *Xenoph.* transeuntque ad cætera membra capitis deliria; quare si velit honesta, nemo non eadē volet, ex *Senec.* & de Principe scripsit *Lips.* 10. *Polit.* Ad virtutem præit? sequimur. Ad vitia? inchinamus, & generalitèr sana facies tota, si sanum caput, ut inquit *Plutarch.* Et certo certius est, quòd Superiores vitia quæcumque ipsi concipiunt, ea infundunt in subditos. Plus exemplo, quàm peccato nocent, *Iul. lib.* 3. *de legibus, Scoppa cit.* §. 4. nu. 23.

6 Quid ergò illis imprudentius, & magis impium dici potest, qui cum more suum in vno vitiorum voluntur, se tamen dignos putant, qui homines regant, Deumque ducem, authoremque fœlicitatis fore sibi arbitrantur? Caue, dum vides Christiane Iudex quanta sit Regentis fœditas turpiter, & flagitiosè viuentis; Tunc Deum propitium habebis, quando cordis conueris innocentiam.

Errant profectò, errant, qui per lutulentam cupiditatum viam incedentes, Deum suæ mentis Ducem in regendo, & datorem se habituros sperant, & fœlicitatis amplificatorem. Moribus debet esse conspicuus, qui datur imitandus, *Cassiodor. lib.* 4. *var. cap.* 3. Adeò quòd tantum debet actionem populi actio transcendere Præfulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris, *D. Greg. par.* 2. *pastor. c.* 1. Sitque inde gentium fœli-

fœlicitas, cum in eis non sit potentior, nisi melior, *Senec. ep.* 90. Qui regit alios, non solum animis, sed etiam oculis seruire debet illorum, qui regit, *Tull. Philipp.* 8.

7 Quapropter Superiores cuncti, ita vitam eorum dirigere debent, ut norma sint virtutis, & exemplum subditis, eosque decet, non se bonos præstare dumtaxat, verum etiam pro ipsis vigilare, ut etiam optimi euadant, ex *Xenoph.* quod, ut suum debitum sortiatur effectum, necesse erit, ita monente *Plutarcho*, ut dicat, & ipsi optima, & faciant honesta. Oraculum enim est, & *Tacit.* 1. *annal.* quod necessitas interdum multa fieri iubet, bono magis exemplo, quàm concessio Iure.

8 Opportunè idcirco monitum, qui nō alijs prodest, profit tamen exemplo, *Petr. Matthei hist. Francor. lib.* 5. *narr.* 8. Vacare nota in summo dignitatis fastigio, maximum decus est, ac in officijs celsitudine animo non propendere, & declinare, est gloriæ meta. Nimis absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici, quā possit in moribus inueniri, *Cassiodor. lib.* 8. *ep.* 10.

Improbe quidem agunt, qui alijs honeste, & decore viuendi legem præscriberent, ipsi verò nihilo temperantiores se se præberent. Vnde Vates, *Iacob. Bill. Anthol.*

Quid tibi vult, quod sanctissima iussa tonantis
Exequitur Populus? bis tamen ipse cadit:
Nempè, quòd ille alios, qui teneat plectere, debet
Ipse prius vindex criminis esse sui.

Et alius sermone vulgari canit:

Di quest' ampio del Mondo Augusto Tempio,

1 Gran-



I Grandi sono i Simulacri eletti,
Che prestar denno à Popoli soggetti
Di preclare virtù nobile effempio.

M O N I T V M XXIX.

Fas, & æquum ubiq; tenendum.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex dicitur, qui rectè iudicat.
- 2 Ius, & æquitas vincula Ciuitatum.
- 3 Respublica sine iustitia regi nequit.
- 4 Quid seruandum, vt iustitia suos producat effectus.
- 5 Insipiens est, qui munera spernit, & aurum.
- 6 Contrarium veriùs, & quare.
- 7 Monita diuersorum circa iustitiam seruandam.
- 8 Expedit nè opprimantur pauperes.
- 9 Quomodò facienda iustitia pauperibus.
- 10 Iudices non possunt arbitrando euertere leges.
- 11 Iniuria omne, quod non iure fit.

C A P. XXIX.

E Vm qui à recta, piaquè via declinat Iustitiæ, malè vtique regere, ac peiùs iudicare, inficias quis ire nõ debet. Iustitia namque propria, ac congrua Regentiũ virtus, ac Iudicum; hac sublata, fluctuare vniuersum Terrarum Orbẽ, est certo certiùs, *Cardinal. Bellarm. de*

de off. Princip. c. 19. libr. 1. Ideòq; Iudex dictus est, quasi ius dicens Populo; nec erit Iudex, si iustitia in eo non erit, *Isydor. libr. Ethymol.* etenim, cum sit ad Dei imitationem, qui omnium Iudex est, ad eius imitationem esse debet, iustus, fortis, & patiens, vt habetur in *Psal. 7.* Eiusq; erit officium:

Dicere ius Populis, iniustaq; tollere facta.

2 Et quidem bonum summum est, Iustitiam colere, ac sua vnicuiq; seruare, *S. Gregor. lib. 7. epist. 12.* Ius namque, & æquitas vincula Ciuitatum, *Tull. in Paradox.* & fundamentum est Iustitia perpetuæ commendationis, & famæ, vt *ibid. lib. 2. de offic.*

3 Sine Iustitia Respublica regi nequit, *cap. sanè 24. qu. 1.* eius salutem illa sola tutatur, & seruat, *Carleual. de iudic. lib. 1. disp. 1. nu. 1.* Nec opes, non diuitiæ, non auri, argentiq; copia, non numerosi exercitus Terra, Marique diffusi, non Militum pedestrium copiosæ phalanges, non equitum Turmæ; sed Iustitia Regna custodit, *Scoppa in Menex. de Republ. §. 1. in princ.* ita vt, vbi viget, beatam, firmamq; efficiat Rempublicam, & nequaquam hostibus expugnabilem. Si Iustitia opprimitur, Regnum quoque extinguitur, *Nicet. in Io: comm. Diligite ergò iustitiam,* monet *Sapien. cap. 1. qui iudicatis Terram; Et si verè iustitiam diligitis, recta iudicate filij hominum, vt ibid. Psal. 7.*

4 Verùm, vt possit Iustitia suos producere effectus, debent, qui regunt, & iudicant, stateram habere præmanibus, quæ neque pendeat ad dexteram, neque ad sinistram: cumque domus Iustitiæ sit Curia, munera



si placeant, recta non erit, dum citò violatur auro, cap. pauper 11. qu. 3. & malè verum examinat corruptus Iudex, Horat. satyr. 2. libr. 2. cum nil sit sanctum, quod non violari; nil tam munitum, quod non expugnari possit pecunia, Tull. orat. 5. in Verrem; Inde valdè ne-phas in eam magis vergere partem, in qua plus ponderis est, aut quid æris, Lips. centur. 1. epist. 44.

9 At quid est quod audeo? Concessum in foro latrocinium. Omnia venalia nummis:

Quis, nisi mentis inops, oblatum respuat aurum?

Curia pauperibus clausa est, &, vt refert P. Isidor. loc. cit. qu. 3. pauper, dum non habet quid offerat, non solùm audiri contemnitur; sed etiam contra veritatē opprimitur; nam iuxtà illud Ouidij:

Nummus ubi loquitur, Tullius ipse tacet.

6 Sed nugæ Poetarum sunt hæc, ægrotantium deliria, & errores illorum, qui Deum non timent, ac viuūt sine decore; suntq; & ij Iasones illi, quos palàm videmus cum Lips. miscell. epist. 8. ad Colchos, & aureum Vellus ire: Sed heù, heù, quæ monstra! Apage Christiane Iudex prædictas ex abisso Sfinges, caue à tam nephando scelere: Mendacibus ne credas: Hæc Veritas est: *Maledictus homo, qui munera accipit, vt animã innocentis percutiat, ex Deuter. cap. 27. Qui excutit manus suas ab omni munere, hic habitabit in excelsum, vt habetur in Isai.* Tunc condecorat Curia Ciuitatem, quando omnibus ex æquo administratur, exceptione personarum sublata, vt pulchrè Ill. Dux, & Regius Consiliarius D. Carolus Petra rit. 46. nu. 2. Non quiescet

scet Ciuitas, non acquiescet Magistratui, nisi in medio is constitutus ius ex æquo omnibus dicat; quod si prætereat, nulla est legū dignitas, nulla maiestas, vt idem D. Petra ibid. & post eum eruditus Scoppa in Menex. de Republ. §. 2. nu. 9. Quorum animus obsident lucra, nequeunt occupare Iustitiam, quæ equilibrium animi est rectè iudicantis. Illud est supremum Iustitiæ decus, quod dum in Senatoria splendescit dignitate, nec alteri nocet, nec sibi prodest, sed communi consulit vtilitati. Nullibi magis flaccescunt ditiones, & Imperia, quàm vbi ius, & æquum in gerendis rebus, venale est. Pereat status, evertantur Regna, necesse est, vbi deficit tutelare Numen, incontaminata Iustitia. Iudex quis tamdiù dicitur, quamdiù iustus putatur, Cassiodor. epist. 29. libr. 3. Iudicis nomen meretur, qui honestum prætulit vtili; non ille, qui munusculis, & largitionibus obcæcatus, nec candore animi, neque dignitatis decentia, quæ Iudici congruat munere adfungitur suo. Vnde contra huiusmodi Vulpiones, qui secus tradūt, ac operantur, liceat mihi eis dicere cum Petron. Arbitr. in satyr.

Ergò Iudicium non est, nisi publica merces,

Atqueques in causa qui sedet empta probat?

7 Absit hoc, absit. Hoc sanè monitum in Leuitic. cap. 19. *Non facias quod iniquum est, neque iniuste iudicabis, non consideres personam pauperum, nec honores vultus petentium, iuste iudica Populo tuo.* Cum Rectores, & Iudices sint ad Dei imitationem positi, non debent esse acceptatores personarum, cum hos haud esse



apud Deum, Sacra Eloquia testantur, & canit Vates Sulmonis 4. de Pont. el. 8.

*Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra
Thura minus grandi, quam data lance valent.
Et Virgil. lib. 10. Æneid.*

Iuppiter omnibus vnus.

Prout ergò docet Aristotil. 5. Polit. c. 10. Nec opulenti iniustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat. Qui namq; iudicat in veritate pauperes, firmabitur thronus eius in æternum, Sapiens. cap. 6. Non est enim contemnenda paupertas, cap. gloria Episcopi 12. qu. 2. ex quo, qui despicit pauperem, exprobat Factori suo, vt habetur in prouerb. ca. 17. Vnde inquit D. Augustin. super Psalm. 76. Non nè ità laudamus Ioseph, cum frumentum distribuerat; sicut cum carcerem habitabat. Scire vti paupertate, fœlicitas est, vt ait Senec. libr. de morib. Nec paupertas est de genere malorum, vt voluit glos. in cap. vno, in ver. mendicantes, de relig. domibus. Vnde monet ad rem Martialis, dum canit libr. 3. epigr.

Fastidire tamèn noli Ruffine minores.

8 Imò Regentibus, alijsq; Superioribus, nil magis expedit, quàm curare, nè potentiores viri, humiliores iniurijs afficiant, text. in l. congruit, §. nè potentiores, ff. de offic. Præs. nam vt canit Vates:

Inde datæ leges, nè fortior omnia posset.

Et propter miseriam inopum, & oppressionem pauperum exurget, & ipse Deus, Psalm. 11. a. 16. etenim, vt audiret gemitus compeditorum, de Cælo in terram axpe-
xit,

xit, Psalm. 101. cap. 21. vnde inquit: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem audiui propter duritiam eorū, qui præsumunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Itaque præcipuum munus est eorum, qui præsumunt, oppressos releuare, & afflictos, Luc. de Penn. in l. 1. C. de disertor. lib. 10. Capibl. in rubr. Prag. de Baron. num. 73.

9 Aduertendum tamèn est, non posse fieri iniustitiã diuiti propter pauperem; potenti propter viduam; Domino propter famulum, prout obseruant nonnulli, qui, vt iusti videantur, iudicant cum iniustitia contra suos: hij namque sunt Hypocritæ, vt aduertit Glos. penult. in versic. nouimus, c. 1. de concess. præb. in 6. & tradit Bouadill. lib. 2. Politic. c. 2. nu. 2.

Et cauendum maximè, nè mendicatis accusationibus opprimant opulentes, & diuites, habito obiecto crimine pro approbato: nullus enim innocens, si accusasse sat erit. Nephas etiam non tantum, & iniustum, sed crudele nimis, fontes, & infontes punire, vt vulgò dicitur, clausis oculis. Hoc Tarquinij erat, de quo scribit Liuius lib. 1. fol. 33. cognitiones capitalium rerū sine consilijs per se solum exercebat, perq; eam causam occidere, in exilium agere, bonis multare poterat, non suspectos modò, aut inuisos, sed vnde nil aliud, quàm prædam sperare poterat. Præter rectum namq; & iustum est, si Iudex, vel Reipublicæ Reçtor obiectum crimen pro approbato accipiat, hominemq; indefensum, & inauditum, vt mutum piscem, damnet, Moron. in Aul. David. c. 32. Hocq; est quod monet ma-

ter-

terna lingua, vt magis audiatur Vates *Alemann*, ita canens:

*Non trouar ad ogn'hor false raggioni,
Per abassare i giusti alzando i prauu,
D'auaritia, e d'inuidia hauendo i Sproni.*

10 Insuper, & turpe arbitrium illud, quod est in ore Iudicum quamplurium, qui capiunt, & sub huiusmodi mendicatis latebris euertunt, arbitrando iura: nam arbitrium moderari debet secundum leges, quoniam non est credendum, Romanum Principem, qui iura tuetur, hoc arbitrium concedendo, totam legum obseruationem multis vigilijs excogitatam, & inuentam euerti: nam, in generali concessione, videntur ea tantum concessa, quæ verisimiliter sunt concessa, & specialiter, non secus, vt sapientissimè aduertit *Cirill. Fulg. in summ. cri. tit. de Magistr. à Reg. creãd. §. 1. n. 1.* Iniquum idè est violare modo prædicto leges, & iura, & omnem complectitur iniustitiam, vt testatur *Aristotil. lib. 5. ethic. cap. 1.*

11 Iustitia ergò erit, si sua cuique tribuantur, eo modo, quo lex præscripta mandat, *Aristotil. 1. Rhetor. c. 22.* Iustum est, quod leges iubent, & quod æquum est, vt *ibid.* qui contrà Ius volens alterum lædit, is infert iniuriam, *ibid c. 22.* ex quo iniustum, quod factum est, iniuria dicitur, *ibid. lib. 5. ethic. c. 7.* cum sit iniuria omne illud, quod non iure fit, *l. 1. ff. de iniur. Fas,* & æquum igitur vbique tenendum, & equa lance: nam iustitia veritatis amica est, quare, vt dixit *Cassian. relatus à Zuff. de legit. protest. qu. 126. nu. 7.* non nouit patrem,

non

non nouit matrem, veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur, & per consequens Vate restante:

*Questa è massima vera,
Pur che regni Giustizia, il Mondo pera.*

MONITVM XXX.

Amicitia nequaquam præponenda Veritati

SVMMARIVM.

- 1 *Hercules egressus ex Epæbis, quis.*
- 2 *Sanctum est veritatem colere.*
- 3 *Amicorum causa fieri debent honesta.*
- 4 *Debent homines amicis fouere, & colere veritatem.*
- 5 *Quare datus Superior.*
- 6 *Amici nomine qui.*
- 7 *Qui hostibus atrociores.*
- 8 *Caueant Rectores nè decipiantur.*
- 9 *Amicus vsque ad Aras.*

C A P. XXX.

1 **H**ercules, vt est in fabulis, egressus ex Epæbis, hoc est vir sapiens, duo illa montium cacumina, Amicitia nimirum, & Adulationis, quæ procul inuentibus in vnum fastigium coalescere, videbantur, non nisi Virtutis, Prudentiæque beneficio discreuit, vt ad-



aduertit *Temisthoel. orat. 3.* Idcirco plusquam necessaria Iustitiæ, ac Prudentiæ virtus in Christiano Iudice, si in amicorum causa iudicare contingat.

2 Aduertendum proinde est, quod æquum sanè erit, honorem suum præstare amicis, sed magis sanctum veritatem, & iustitiam colere, ac decerpere pro ea. Vnde dicere liceat: *Incorrupta, nudaque Veritas, quando vllum inueniat parem?* Scribebat de Quintiliano *Horat. Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica Veritas.* Adeò quod doctissimè est monitum: *Amicū condemna, & inimicum absolue*: nam delicta, non homines, puniuntur, & odio sunt habenda peccata, non homines, *Cirill. Fulg. in summ. crim. de offic. Præs. nu. 22.* ex quo, quando homo punitur à Iudice, lex punit eum, non Iudex, qui vtique tunc dicere potest: *Delictum tuum te punit, non ego, Cirill. loc. cit. de sent. §. unic. num. 14.*

3 Non tamen negatur, vt aduertit *Arasm. adag. 75.* Amicum magis esse necessarium, quam ignem, & aquam; nec latet, quod amicis summum præcandi genus est velle, *Lips. ad German. centur. 2. epist. 20.* Et re vera, testante *Nasone 2. de Pont.*

*Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum.*

Sed amicorum causâ tantum honesta facere licet. Hæcque, apud *Tull. de amicit. lex amicitiae prima est: Honesta petamus, quam edoctus Plaut. in Amphitrit. ita inquit:*

*Iustam rem, & facilem esse oratum à vobis volo:
Nam*

*Nam iuste ab iniustis sum orator datus:
Et aliàs in Stich.*

Bonum ius dicit,

Impetrare oportet, quia æquum postulat.

4 Monetq; ad rem alibi: *Actiones prius discutiendas esse, & legi honestatis adaptanda, antequam in deliberationem prouocent consilia.* Ex quo hæc duo Homini- bus sunt diuinius data: veritatem nempe colere, & amicis fouere; primum tamen longè diuinius esse, inquit *Pittagoras*, & Sanctam vocat *Aristotiles* veritatem, non amicitiam, eiusque nomen veneratione dignum esse, cum Deus ipse sit veritas. Et ideò, quis erit Iustitiæ minister, qui non dirigat ad honesta, & ingenua oculos? vt inquit *Sophocles.*

5 Datus est Superior, vt cætera contemnat, commu- nia anteferat. Negotiatio est, non amicitia, quæ ad cõ- modum accedit, *Senec. epist. 2.* Indè faciliter amicitiae ob vtilitatem comparatæ dirimuntur, nam vtile non idem manat, sed aliud alias efficitur, *Aristotil. Ethicor. lib. 8. cap. 3.* Quæ ideò concedi nequeunt, sunt moderanda, ab amicis dum petuntur; & dicendum cū *Ouid. 1. de Pont.*

*Ab nimium est, quod Amice petis, moderatiùs opta,
Et voti, quæso, contrahe vela tui.*

6 Amici, qui inhonesta appetunt, nomine tantum sunt tales: cum verè amici esse non possint, cum dili- gant tantum vtilitatem eorū, & fructuum, adeò quòd canendo monet *Ouid. 3. de tristib.*

À a

Vsibus



*Vsibus edocto, si quicquam credis amico?
Vive tibi.*

Ex quo, vt ipse aduertit *ibid. lib. I.*

*Illud amicis sanctum, & venerabile nomen,
Nunc pro vili, sub pedibusque iacet.*

7 Imò amici, qui se omnia mereri præsumunt, atrociores sunt ipsis hostibus, vt aduertit *Sex. Aurel. V iurt.* Sicque nequaquam eis parendum, cum de iure sit vetitum, amicorum causa peccare, *text. in cap. faciat 22. qu. 2. text. in cap. omne genus, & cap. I I. si quis ad te.* Et sicut, qui optat, quæ sit nephas optare, à Dijs optata non consequuntur; ità qui ea, quæ rogant ab hominibus, quæ non sunt licita legibus, haud adipiscuntur, *Xenoph. de Ped. Cir.*

8 Caueant ergò Rectores, ac Iudices, nè amicitiam veritati præponant, cum viris omnibus veritas esse debeat amicis carior, *Aristotil. lib. I. Ethic. cap. 6.* Nec eos fallat spes obseruatiæ, vel præmij ab amicis prætenfa dignitatis, & officij: nam, qui amici sunt spe quæstus, & emolumentum, eorum amicitiam vtilitas commutata destruit, quippè pro se, non inter se diligunt, sed vtilitatem, & fructum, vt supra dictum est, ex *Aristotil. 8. Ethicor.* & proinde deposito officio, & dignitate cõpleta: Amicus nemo, *Aristotil. apud Laert.* & quæ multa fuerunt in promissis, apparente Sole, nouo scilicèt Rectore, & Officiali, vt nebulae disparèt, & euanescent, inde iuxtà illud Poetæ:

Ogni speranza al fin resta delusa,

Che

Che premiar chi serue oggi non s'usa.

9 Itaque pro amicis facienda, quæ possunt de iure fieri, non secus; cæterum non curandum de amicis, quod probat *Cassiodor. var. lib. I 2.* dum ait: *Mihi propria cura dilapsa est, post quàm generalem cœpi cogitare custodiam; opto meis bene, sed quod possit esse commune.* Etiam tempore Anattagoræ nephas erat ad Aras, quæ plures erant Veritati dicatas, vbi purgabantur falsitatis obnoxij criminibus, nocte confugere. Inde adagium, quod in præsentis congruum est dogma:

Amicus vsque ad Aras.

MONITVM XXXI.

*Seruandæ Leges ab ipsis Iudicibus, Reipublicæque
Rectoribus.*

SVMMARIVM.

- 1 *Leges maxime custodiuntur, si à Legislatore seruantur.*
- 2 *Malefacientes non possunt increpare malefactores.*
- 3 *Iudices, & Rectores moribus debent adimplere, quod docent ore.*
- 4 *Abstinere se debent ab hijs, quæ prohibent.*
- 5 *Ratio affertur vsq; ad num. 6.*

C A P. XXXI.

1 **M** Agnum profectò, & vtile dogma sub virtute Iustitiæ, vt seruent leges ipsi Iudices, & Rectores:

A a 2

ctores:

ctores: Iura namq; cœteris lata tunc maximè custodiuntur, cum ipse Iurislator præstat obsequium. Ideòque monet *Claudian. de 4. Honor. Consol.*

In commune iubes, si quid censesq; tenendum,

Prius iusta subi, tunc obseruantior equi

Fit Populus; nec ferre vetat, cum viderit ipsum

Auctorem parere sibi.

2 Et me hercle, quomodò poterint Iudices, atque Reipublicę Rectores increpare adulteros, & malefactores, ac fures, si ipsi furantur, vel adulterantur? & qualiter poterint ministrare iustitiam, si ipsi erunt indispositione impura, & contraria? ad rem certè *Iuuenal. satyr. 2.* dum inquit:

Lorsipedem Rectus derideat, Aetiopem Albus.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Quis Cœlum terris non misceat, & mare Cœlo?

Si fur displiceat Verri, homicida Meloni,

Clodius accuset Machos, Catilina Cethegum?

Verba sunt *Imperatoris in l. arenam, C. de inoff. testam.* quod quis in se approbat, in alio reprobare non potest.

3 Et ideò debent Rectores, ac Iudices Christiani, quod docent ore, adimplere moribus; nec debent expernari, ius sibi dici, quod alijs dixerunt: quoniam, quod quisque iuris in alium statuerit, ipsum quoq; eodem uti debere, statuit idem *Imperator in l. 1. quod quis iur. ex quo non potest vllam authoritatem habere sententia, vbi damnat, qui damnandus est, Senec. in except.*

except. fol. mihi 645. Adeò quòd Legumlatorum potissimum, quod decantatur munus, id est nedum cœteris præesse latrone legum, sed ipsis legibus adesse, earumq; obseruantia præesse cœteris, & est vox Agamemnonis plusquam Regia: *Non posse iuste in reliquos exercere iustitiam, qui à Iustitiæ statutis in se ipsis deficiunt.* Et congruum præceptum est *Ausonij in Phyn. sent.* quo ita monet: *Pareto legi quis quis legem sanxerit: si quidem eod. Claud. teste:*

Publica nimirum tam res sibi constat, & æquum

Imperium, cum Rex, quod iubet, ipse facit.

4 Quapropter, cum faciant banna prohibitiua, vel statuunt aliquid aliud, debent utique se abstinere ab his, quæ prohibent; & iure, siquidem quid attinet leges ferri, quibus per eosdem, qui tulerint fraus fieret? iam regi leges, non regere. *Sanè, inquit Livi. lib. 10. Lex veneranda est, quia veritatis speculum: quia rigida quædam dilectionis est forma.* Quicquid enim à iusto didicit, id facere iniustum quoque compellit, bifariè inditum vnum glorificando, alium corrigendo, *D. Zeno serm. de fid. & ut clariùs inquit Cassiodor. lib. 2. ep. 8. Nil esset bona præcipere, & talia non facere:* Et ideò sint, & ipsi in parendo primi statutis legibus, nam utique, & eis bene imperant, ut & legitimè alijs possint imperare.

Imo, & iustum est legibus Principem obtemperare suis, *Cirill. Fulg. in summ. cri. ad text. in l. antepenult. ff. de administr. tutor. vbi legem, quam quis alijs præscripsit,*



scripsit, ipse eamdem seruare tenetur: cum non debeat alijs legem imponere, quam ipsam negligit obseruare, *text. in cap. pro illorum, de prebend. & digna vox in Maiestate Regnantis: Legibus alligatum se Principem profiteri, fuitq; sententia eiusdem Claudiani occinentis ad Reges: Nil*

Magis esse Deorum,

Aut Regale puto, quàm legis iure solutum,

Spontè tamen legi se se supponere Regem.

Sed, quicquid sit de Principe, de quo habetur in *l. Princeps, ff. de legibus*, quod sit solutus legibus, illa adhibita distinctione, de qua *Bald. in l. 2. cap. 8. nu. 10. C. de seruitut.* quòad alios Rectores, certo certius est, non iustum esse imperare tantum; sed iustitiæ, & legibus obtemperare; Iustitia, & legibus solui, quocumq; lumine indignum est, *Mastrill. de Magistr. lib. 3. c. 3. num. 139.*

- 5 Tu ergò, qui Iudex es, nè quid sis accusandus, vide, vt aduertit *Terent. in Heaut:* nàm à veritate minime alienum est, quod notat *Plat. in Criti.* interitum nempe paratum esse Ciuitati illi, in qua non lex Magistratibus, sed legi Magistratus præfunt, contra Solonis dictum, qui interrogatus, quomodo Ciuitas in optimo statu regeretur? Ità respondens ait: *Si Ciues quidem Magistratui obediunt; Magistratus autem legibus.* Viuere legibus hoc proprium est Imperij, *Novar. lib. 1. grau. prelud. 4. text. in l. 2. C. de testib.* Qui viuunt sine lege, nequit esse legis custos. Vnde Vates *Marinus:*

E s' à

*E s' à giogo di legge il collo altero,
Non hà libero Prencipe à supporre.
Dritto è però, che chi la diè, l'offerui,
Onde effempio da lui prendano i serui.*

MONITVM XXXII.

Vitia, quæ pateant, coercenda prauiribus.

SVMMA RIVM.

- 1 Superiorum facta cunctis sunt in aperto.
- 2 Nemo sine vitio viuunt.
- 3 Coercenda sunt à Iudicibus &c. vt scandala euitent.
- 4 Hypochresis damnatur.
- 5 Hieroglyphicum de Mundi partibus adaptatur Recto-ribus.
- 6 Procul tenenda vitia.
- 7 Tutius prauitatis exemplo malum velare, quàm pandere.

C A P. XXXII.

1 **M**agnum profectò in eo positum est momentum ad Imperia factata, à periculis conseruanda, & stabilienda, si qui regunt, & imperant, vitijs careant, omni virtute imbuti. Magnus enim mihi videtur Rector, ac bonus Iudex, in quo mira in illo pietas,

tas,



tas, mirum obsequium. Porro qui Imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti nouere, vt inquit *Salustius*, nam lux aliissima facti nil esse finit; Ideòq; debent Superiores omnes rectissimam vitam agere, & præsertim Rectores Reipublicæ, ac Iudices.

Et quidem, quomodò poterint ministrare iustitiã, qui sint indispositione impura, & contraria? Tritum est Scipionis dictum apud *Liuium ad Massinissam*; *Vox esse tantum periculi ab hostibus armatis metuendũ Ciuibus, & Populis; quantum à Rectore, vel Duce vitijs circumfuso*. Cum sit luce clarior, quòd qui se ipsum malè regit, alios benè regere non potest.

2 Fragilitas tamen humana, cum non parcat utique nullis, *Plat. libr. 2. de Republ. dum*:

Mortales vitium penitus labuntur in omne

Præcipites, quoniam facilis via ducit ad ipsum.

Adeò quòd haud fabulatur *Ouid. lib. 3. elegiar. canens*:

Vitij nemo nascitur, optimus ille,

Qui minimis urgetur, &c.

3 Vigiles esse debent, qui præfunt, ne sint eorum vitia in aperto; quoniam nil Reipublicæ nocentiùs, quàm vitium Gubernatoris latibulum minime quærens. Lues quædam est, quæ oculis, vel subiecta contactui, inficit omnes. Inde oritur infelicitas illa, quam *Seneca* tribuit, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent, vt in *epist. 39. siquidem verum: Vg homini illi, per quem scandalum venit.*

Opor-

Opportunum ergò Regentibus tegere vitia, dum ipsi malè affecti omnes inficiunt; omnibus spectandos se exhibent, & monstruosum quod est, exhibere non debent: etenim non mentitur *Demosthenes*, dùm inquit: *quòd subuersio Reipublicæ ibi semper accidit, ubi vitij laboratum est*. Et ideò, quamuis teterrimum sit Monstrum, larua virtutis, fucus probitatis Hypochritis; Regentibus tamen semper profuit, compresso prauitatis exemplo, malum velare, quàm pandere.

4 Ast aduertere est opus, nequaquam me probare Rectorem, vel Iudicem, qui Hystorioniam, vt ita dicã, agens, pietatem simulat, quamuis callidè simulatione teget: hos probrum, & nephas utiq; teneo; nec me latet, esse Hypochrisim detestabile scelus: Scandala euitare cupio, imò, & procul, vt sint pœnitùs peccata, ac vitia à Christiano Rectore.

5 At, cum nemo penè sine vitio sit, si quid in aliquo sit mali, non absre coercendum puto, ex quo verum, quòd minus lædit compressum incendium, quàm foras erumpens. Quod tegitur crimen, vni nocet, agenti prauè, ceteris scèpè prodest, si indutum prodeat simulatione virtutis. Serpunt moderatorum vitia, velut venena, totumq; Imperij Orbem inficiunt, quo infecto, non nisi expectandus interitus. A Sapientioribus Reipublicæ, optimum est, cœterorum inchoare disciplinam, vt nedum reliquos errare pudeat, quàm benè sperare. Vndè ad hos opportunum, quod scriptum est *Hyeroglyphico de Mundi partib.*

Bb

Par-



Parte sui meliore latent.

6 Mala Governantium vita seges est in Republica, si ipsius licentia permittatur, totus inficitur abiectorum cæcus. *Vopiscus* declinantis Imperij Romani omen ciuibus adscribit nequitia, & animi prauitate suas exercente potestates; Idem verò Imperium pristino nitori restitutum ait, cum Iustitiæ legibus gesti sunt Magistratus, ex quo propter turpitudinem vitæ regēdi perditur authoritas gubernandi: nam cum iudicandi munus sit honor, omnem honorem reatus excludit. *l. 1. C. ubi Senat.*

7 Nec tantum mali est, Superiores peccare (quamuis sit magnum de per se) quantum illud, quod permulti existunt imitatores; adeò quod metuendum est citò illius Reipublicæ exitium, ad quod inferendum virus, palam, absq; interimentis rubore, & pauore profunditur. Qui aliena vult corrigere malefacta, castigare se ipsum debet, *Capit. de Baron. vol. 1. nu. 65. & 68. Idcirco, inquit Elianus, flamma scelerata, & atrox, aut penitus extinguenda est, aut saltè velanda, & sopienda cineribus, nè cum extrinsecus impetus circumfertur, omnia absumat.* Sensatus homo, constat ex Oraculo Sacro, in sapientia manere debet, sicut Sol, qui cum cæteris patet, nulla vitatur nube; & tamèn, ut inquit materna lingua, Vates:

*... . Negar ch'il puole?
Hà le sue Ecclissi, e le sue macchie il Sole.*

MO-

MONITVM XXXIII.

Abstinendum à vane gloriæ studio.

SUMMARIUM.

- 1 *Humilitatis honestas est, gloriam fugere vanam.*
- 2 *Modestia est fulchrum omnium virtutum.*
- 3 *Virtutibus destitutus malè Rempublicam gerit.*
- 4 *Ambitio quæ? & qui ambitiosus?*
- 5 *Honoris studium non reijciendum omnino.*
- 6 *Quæ honoris ambitio sit floccipendenda? refertur.*
- 7 *Carmina Laurentij Crassi.*

CAP. XXXIII.

1 **A** PUD Rectores omnes circumfertur, eam esse Humilitatis honestatem, qua homo, & in rerū æternarum despicientia versatur, & immoderatam gloriæ appetitionem fugit, ac deuitat, *Superbus*, inquit *Porphirius*, uti puer est accumulans multum per lictus arene, unde sibi fingit permulta; sed omnia statim confundit manibus ludens, pedibusque repulsas. Insaniunt operose profectò ij, qui præcariam foelicitatem in humanæ gloriæ inanitate constituunt. Vnde *Boet. metro. 7. libr. 2.*

Quid ò superbi colla mortali iugo

B b 2

Fru-



*Frustrà leuare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffusa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam.*

2 Et quidè delirant, qui collocant auras vanitatis suæ in aura labente, nec alitèr, quàm Thuriij Boream adorant ventum. Modestia fulcrum est, & vinculum virtutum omnium, quæ labuntur, aut defluunt, nisi ea nixæ, nisi ea nexæ; & ad rem monet *Lips. epis. 69. centur. 2. ad Belpic. dicens: Ita te attolle semper ab humo, ut absis à fumo: sicut enim ille ab igne morsicat, & inūbrat; sic iste ab ambitione lumen omne mentis.* Si vanæ seruias gloriæ, ipsi met, qui te glorificant, per hoc te deridebunt, *D. Chrysost. humil. 39. ad Popul.* Nil graue moliri potest, quem leuis agitat aura, nihilq; publici capescit boni, qui priuatum, & inanem captat honorem. Propterea iure adaptandum Christiano Iudici, ac Reipublicæ Reçtori, quod ad Reges dictum est, & Imperantes, à *Claudiano*, qui canit:

*Publicus hic ardescit amor, cum moribus equis
Inclinat populo Regale modestia culmen.*

3 Vetus est *Platonis* decretum in sua *Republica*, neminem ad publica gerenda negotia sapientèr accedere, qui virtutibus planè sit destitutus. At nulla virtus est, vbi inanis gloriæ est aucupium; ex quo valdè discors est, & distans vtriusq; meta, adè quòd vnam, qui contingit, recedit ab altera.

4 Præter

4 Præter quàm quòd, qui nimia ducitur cupiditate gloriæ, is ambitiosus, *Aristotil. ethic. lib. 2. c. 7.* Etenim ambitio, teste *Platone*, est ambitus animæ omnes sùptus honoris gratia admittens præter rationis normã; & de hac exclamans *Bo: prof. 6. lib. 3. ait: Oh gloria, gloria! millibus hominum mortalium nil aliud, nisi auritū inflatio magna.* Hæc enim est, quæ perdit genus humanum, quoniam naturæ suæ non vult mensuram agnoscere, & semper maiora desiderat, & quæ supra sunt, suam dignitatem vocis concipit; Abstinendum idè à vanæ gloriæ studio, ex quo, vt flammæ acrior infinitæ vis est, quo ex maiori incendio emicuit, æquè ambitio non patitur, quemquam in ea bonorum mēfura conuiescere, qua quondam eius fuit impudens votum, *Senec. 2. de benefic.*

5 Non tamen reijciendum est omninò honoris omne studium, siquidem iacebunt vtiq; honestatis studia, si cesset honoris appetitus, ex quo gloria alitur industria, & vbi eam dempseris, ipsa per se virtus amara, ac aspera est, *Lips. in comm. in Plin. panegyric.* sola namque laudis cupiditate ad præclara inflammamur, dum spes honoris sunt elementa virtutis, vt scribit *Plutarch. de inst. puer. & iuxtà illud Ouid. 5. de trist.*

Non paruas anima dat gloria vires.

Nam 4. de Pont.

Gloria calcar habet.

Vnde *Socrates* non temerè gratias dicitur egisse *Dijs*, quòd esset natus homo particeps gloriæ: honor

enim



enim alit artes, omnesq; accenduntur ad studij gloriã,
Tull. 1. Tuscul. q. q. Imò Ihales, hoc vnum in vita esse
 eligendum, monebat, nempe gloriam, quam, vberri-
 mum alimentum esse virtutis, dicit *Maxim. 2. c. 6.*

6 Quapropter non sunt abiurandæ internæ animi
 dotes, nec repudianda illa voluptas, quæ sequitur vir-
 tutem, vt corpus vmbra. Qui in expetenda gloria mo-
 dum habet, laudabilis est, *Aristotil. 2. ethic. c. 7.* etenim
 vt dicebat *Menander:*

Honore gaudet affici se quilibet.

At non vacuo solius ambitionis reflatu: extrema tan-
 tum sunt vitiosa, & externa illa honoris ambitio sa-
 nè floccipendenda est, si ambitus vagetur extra virtu-
 tem; error est gloriam appetentium sine limine, cui
 namque rei sua constituta est meta, qui excedit, aber-
 rat, non secus. Et ideò colendi sunt adhuc Thebani il-
 li, Romani, atq; Athenienses Senatores, qui omne per-
 agebant, nullum affectantes honorem, sed solam Rei-
 publicæ vtilitatem. Sicquè moderatione regendum
 gloriæ studium. Metiri me Geometres, docet *Lati-
 fundia*, potiùs doceat, quomodo metiar quantum ho-
 mini sit satis, aiebat *Seneca*, quamobrem, tantum glo-
 riæ desiderabis, monitum est *Plutarch.* quantum satis
 est ad conciliandum sibi authoritatem in rebus gerē-
 dis, ita vt secundum *Taciti* dogma: *Quanta est fortu-
 na in gerenda Republica, tanta in ambitu gloriæ sit mo-
 destia*, etiam, & vulgò fertur.

7 *Ambition, ch' in petto human s' accende,*

Qual'

*Qual' hor nostr' alma tributaria fassè,
 Con l'alma in noi la miglior parte offende.*

MONITVM XXXIV.

Mens illustranda notitia sui.

SVMMARIVM.

- 1 *Superbus non modò impius, sed stultus.*
- 2 *Homo carens notitia sui, non est prudens.*
- 3 *Se ipsum noscere, difficile est.*
- 4 *De Superbo dicitur, quòd non se nouit.*
- 5 *Nosce te ipsum, quare dictum.*
- 6 *Non errat, qui se ipsum noscit.*
- 7 *Expenduntur carmina Iuuenalis.*

C A P. XXXIV.

MAla, quæ superbis euenerunt Rectoribus Reipu-
 blicæ, Historias peruolutatibus haud sunt igno-
 ta; nec tragedias commemorare excito atrociores, quæ
 extiterint; cum apertum sit, & euidens, non euocare
 superbiam vllam vtilitatem, nisi crudelissimum, ac
 I miserrimum interitum. Hoc vnum trado verissimum,
 quòd Superbus non modò in Deum impius, sed stul-
 tissimus etiam, & miserrimus, nec eo quippè stultiùs
 excogitari potest. Aduertendum sanè igitur, quòd ca-
 duca,



duca, & fragilis res Homines sumus, *Lips. cen. 3. epist. 6.* vt ipse addit *epist. 41.* Homines sumus, id est, non diu sumus, cum ad extremum vitæ terminum venimus, qui breue est. Ad eò quòd interroganti: Quid est Homo? Respondet *Seneca*: Quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile, & *Plin. lib. 7. c. 7.* inquit, quòd est lucerna in vento posita, qui ab ipso lucernæ odore potuit perire, & à quo plerumq; abortus. Vnde dum quærit *Venusinus*, quid nos Homines sumus? ait *od. 7. lib. 4.*

Puluis, umbra, fumus.

2 Hinc est, quòd licet censeatur Homo prudentissimus animalium; sibi tamen stultissimus videtur, cum careat vt plurimum notitia sui, *Lips. dial. 20. de mil. Rom. lib. 5.* Cognoscere enim vnusquisque se debet; Nec prodest Homini Stellarum scire vires, si postquam nouerit eas, se ipsum ignoret. Ex sui notitia laus potior fulgescit. Inde eo feruntur elogia frequentissima Delphicæ Epigraphes:

Nosce te ipsum.

3 Quod utiq; fieri non admodum de plano est, siquidem hæc vna nos, cum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum, docuit, vt nosmet ipsos nosceremus, *Tull. lib. 1. de legib. fol. 354.* Imò, vt aiebat *Ishales Milesius*, nil in Mundo difficilius, quam se ipsum noscere, dum rarò accidit, quem *Arghum* non præsumi, esto *Cyclopem.*

4 Vnde de superbo dicunt Sapientes, quòd non se nouit,

nouit, cum non cogitet, quòd nos omnes, qui aliquid esse videmur, homuli sumus in quacunq; dignitate altiori collati, & in quibus etheræ illius partis aliquid fortasse emicat, sed non in fine adiuncta sua terrena fece. Caligo, certum est, hæsitatio, error, agnata sunt nobis, & nil tam eximium ab homine eximio, in quo non ea deprehendas, *Lips. ex centur. sing. ad Ital. & Hyspan. epist. 23.* Vnde *Vates:*

. . . *Vis altiore voce me tecum loqui?*

Humana cuncta sumus, umbra, vanitas,

Et Scenæ imago, & verbo, vt absoluam: Nihil.

Et ideò, vt recta appetitus directio lucem mutuat à cognitione veri boni; sic animum fortunat triumphis intelligentia sui.

5 At illud: *Nosce te ipsum*, scribit *Tull. ad Q. fratrem.* noli putare ad arrogantiam solam minuendam, esse dictum, sed vt bona nostra noscamus; &

O fortunatos nimium! qui sua bona norint.

Planè maximum à Deo munus homini concessum, vt è malis sibi demetat bona, mala ipsa cogat in bonum cedere.

Fortune sic sibi fit faber ipse sue.

Sicque fiat, vt agrescat nunquam animus, ille, qui se ipsum nouit, imò virtutes omnes ex se ipso cognitore, velut ex *Ærario* depromit, vt scelera vincat, & expugnet; obsident animum mala bene cognoscentem; at non obtinent, & vbi animus per sui notitiam se ad se receperit statim, obfirmato impetu, varia cu-



rarum examina depellit, iuxta illud :

*Non prius in dulcem declinat lumina somnum
Omnia, quam longi reputauerit acta diei.*

*Quo prater gressus, quid gestum in tempore, quid
non.*

Cur isti facto decus absuit, aut ratio illi ?

Quid sibi prateritum? cur hac sententia sedit,

Quam melius mutare fuit? miseratus egentem

Cur aliquem fracta persensit mente dolorem ?

Quid voluit, quod nolle bonum foret? Vtile honesto.

Cur malas ante tulit? num dicto, aut deniq: vultu.

Pertristus quisquam cur se natura magis, quam

Disciplina trahit? Sic dicta, & facta per omnia

Ingredient, ortoque a Vespere cuncta reuoluens

Offensus prauis, dat palmam, & praemia rectis.

6 Manifestum enim apparet, notitiam sui salutem animi esse, qua si fulciatur homo, non saeuit cupiditas, non insurgit ira, non in furias agitur furor, dumque bene se nouerit homo, in praesentibus bonis numquam gestiet, sed tremet, ac deprehendet suas, & gaudia curas habere, gaudiorum extrema ludum occupare, & deneque, vitam hanc miseram esse, quasi volatum eam vestantibus pennis ceratis, viscatis, caeuo compartis, & cum sit in dignitate constitutus, vel in mole regiminis collatus, non faciet, nisi quod iustum, & rectum erit, nec excedet recta tramita iuris, dum noscet, nil esse suauius, quam bene rem gerere bono publico: Summumque esse bonum, iustitiam colere,

&

& sua cuique iura seruare, vt inquit *Plaut. in captiu. & docet S. Gregor. lib. 7. epist. 12.*

Inde, cum opertum non habeat, quod vulgo etiam fertur: nempè, fiat Ius, & pereat Mundus. Ex sui notitia tandem enatat in tutissimum dignitatis, & officij sui tranquillissimum portum, vbi statio fidissima Nautis.

7 Quare elegans est *Iuuenalis* dictum, dum canit ad rem:

Credite de Caelo descendit: Nosce te ipsum.

Hinc bene, qui se nouerit, ille sapit.

Et *Maro* nostri temporis, *Arghatonis* ornamentum, omni aeuo laudandus ob merita, & virtutes, *D. Marinus de Marinis:*

E Caelo venit (credendum) Γραδι οσαυτον;

Sic fueris οπισυο; sic Cleobulus ait.

MONITVM XXXV.

Præ viribus, ac omninò euitanda iactantia.

SVMMARIVM.

- 1 *Adulatores quem adulant, insipientem reddunt.*
- 2 *In negotijs gerendis plus res, quam verba profunt.*
- 3 *Mulctum habent iactatores loquentiae sapientiae parum.*
- 4 *Laudare se ipsum, indecens est.*
- 5 *In magnos animos affectatio non cadit.*

Cc 2

6 Ia-



- 6 *Iactantia quid sit? describitur, & quàm sit in Regente turpe? demonstratur.*
- 7 *Gloria non est in iactantia, nec honor est extra virtutem.*
- 8 *Carmina expenduntur Virgilij, ibid.*

C A P. XXXV.

1 **S** Vbdola sunt adulantium verba. Magni animi esse, nec incongruum, se iactare de operibus, cunctisq; actibus, ex quibus etiam vana sequitur gloria: Hoc falso, ac Carfaneo dogmate, caput vacuum implent passim Rectorum assentatores nonnulli, quibus disipientia non deest, inde insipientes reddunt taliter, quòd nec diebus hisce nostris desideratur Phæton, qui quamvis non Phæbi filius, cum & Piroum, se absq; vilo fræno regere iactet, nec aduertit Icarus, quòd dictorum, quæ pretiosa videntur esse vnguenta, lapides sunt, quibus caput contunditur. Vnde non verba (dicam veriùs) verbera eo stuporis, amentiaque hominem perducunt, vt cum totus contusus, fractusque sit, adeo tamen non doleat, vt potiùs, quasi si non lapidibus appetitus, sed vnguentis perfusus esset, optimè se valere putet, ac gaudeat. Sed heù heù quantum delirant, ac tumescunt, dum insipienter se iactant: similes homincioli, ad quos sanè vulgò dictū:

*Non vi è centro, non luogo, e non vi è sfera
Per chi hà il capo di bronzo, e i piè di cera.*

2 Apa-

- 2 Apage ergò Christiane Rector huiusmodi iactationes inanes, nam in negotijs gerendis plus res, quàm verba profunt. Similes iactatores Histriones sunt dicti, qui dum ad Theatrum cæteris perfulgent, extra scenam merguntur in tenebris; & proinde Rex, certè prudentissimus, Dauid huiusmodi hominum generi mensa, domoq; sua interdixit, adeò solitudinem non timuit, vt persuasim habuerit, se non ante Ministros fidos habiturum, quàm garrulos, iactatores.
- 3 Et quidè, quid curandum de capitibus istis ventosissimis? De se ipso prædicare, scèpiùs loqui, multum polliceri, & aliena benefacta sibi vindicare, arrogantia est, *Aristotil. 2. Rhetor. c. 13.* quapropter scribit *Lipsius 2. pol. c. 15.* Apage linguaces istos, quibus plerumq; euenit, quod tradit *Salust. Catillin.* loquentia multum, sapientia parum, & quorum omnis vis, virtusque in lingua sita est. Affectant plerumq; hi tales propendulum honoris culmen in voce, & non aduertunt miseri, si virtute destituantur, infidas se quaritare stationes in aura, in quibus iugi mobilitate circum aguntur.
- 4 Laudare itaque se ipsum, indecens est, sicut se vituperare, *Afflict. in præfat. dec. nu 9.* & sua extollere nimis, arrogantis est, *Aristol. 4. ethic. c. 7.* ex quo, vt notat *Tull.* quis sapiens sit, aut fuerit, nec solent ipsi Stoici dicere.
- 5 Hinc est, quòd scripsit *Simanch. epist. 22. libr. 10.* in magnos animos affectata iactatio non cadit; & simi-

les



les monet iactatores Politicorum Princeps in *Agricol.* dum inquit: *Qui alios regit, malit, videri subditos, inuenisse bonos, quàm fecisse, ex qua virtute, & experientia, non garrulitate roborandus animus. Carboni Consuli iactanti: multos habeo gladios, benè fuit responsum ab Hoste, multos habeo annos: nam re vera non bene fidens est, qui rerum vsu destituitur. Et nō iactantia, sed sola virtus firmissimum bonum, quod, quolibet aduersante infortunio, viget inconcussum.*

6 Est autem iactantia, seū iactatio, factis, & mente id agere, & maiora, quàm sunt, de se promittere; quod utiq; in Regente turpe: nam res loquuntur, nobis tacentibus, quod probat *Manil.* dum inquit 2. *Astronom.*

Sed nè circuitu longo manifesta probentur,

Ipsa fides operi faciet, pondusq; fidemque.

7 Solus ergò Sapiens, qui se ipsum noscens, quò tēdat, quò sua fustigatione collimet, ex virtute præscrutatur. De iactatore, scribit *Tacit.* 1. *Histor.* dicens: *Ignauissimus quisque, & in periculo minimum ausurus, vincis verbis, lingua feroces; Immocus honoris apex, constans, ac solidum gloriæ fastigium extra virtutem non inuenitur. Nequaquàm iactantia, ac verbis;*

. . . Sed famam extendere factis,

Hoc virtutis opus;

MO-

MONITVM XXXVI.

Fugienda Auaritia, ut Tabes.

SVMMARIVM.

- 1 *Auaritia quid sit? describitur.*
- 2 *Malum inesplicabile dicitur.*
- 3 *Sapiens solus sufficit sibi, auarus insipiens, & quare.*
- 4 *Hereticorum proprium vitium auaritia.*
- 5 *Nulli maius affert detrimentum, quàm Iudicibus, & Rectoribus.*
- 6 *Fugienda penitus erit, & quare?*
- 7 *Monita diuersorum ad rem.*
- 8 *Qui regit, ac iudicat, non debet querere, ut fiat diues.*
- 9 *Congruum opum contemptus, & quare vsq; ad n. 12.*

C A P. XXXVI.

- 1 **A**uaritia deordinatus est appetitus supra rationem, supra modum, supra præceptum, & legē, supra debitum, ac meritum supra sufficiens, ut docet *B. Simeon de Cassia lib. 3. de vitijs, c. 50.*
- 2 Et quidē, ut ipsemet docet *ibid.* hæc est malum inesplicabile, omnis improbitatis metropolis, ex *Be- rion.* Pestis ferocissima, quæ solet ægenos, quos capit, efficere, dum finem acquirendi non inuenit; sed eo ma-



magis quo fuerit locupletata, mendicat, *Didimus ad Alexandr.* & sanè dicitur pestis humani generis, *Lips. miscellan. epist. 49.* cum re vera nil auaro sit scelestius, *Ecclesiastic. c. 10.* nihilq; auaritia probius, dum fidè, probitatem, cœterasq; bonas artes euertit, & pro his superbiam, crudelitatem, Deum negligere, & omnia edocet habere venalia, vt inquit *Salustius.*

3 Hinc est, quòd rarò Sapientes sunt auari: nàm haud ignorant, quòd is plurimum habet, qui minimum desiderat; habet enim quântum vult, qui minimum vult; & idè diuitiè non meliùs in fundo, & in fœnore, quàm in animo ipso hominum extimantur, cum Sapiens, si omnia desint, etiam solus sit sufficiens sibi, *Leert. in Antistenem.* At auarus animus nullo satiatur lucro, *Senec. epist. 55.* Sicq; insipiens, ex quo mancipia dicuntur omnibus indigere auari, dum semper egent, *Xenoph. de Ped. Cyr.* adè quòd verum experitur, quòd multa petentibus, multa desunt, *Horat. oda 10 lib. 3.* quoniam ægens æquè is est, qui non satis habet, & is, cui satis nil esse potest, *Cicer. de offic.* dum iuxtà illud eiusdem Vatis *Oda 16. lib. 3.*

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Maiorumque fames.

Inde auarus semper pauper, ac miser, *D. Ambros. super Luc.* siquidem:

Si cui sua, non videntur amplissima, licet

Totius Mundi Dominus, sic tamen miser est.

Et non nè videtur experimento, quòd auaro tantum

tum deest, quod habet, quàm quod non habet? *D. Hyeron. in prolog. sacr. Bibl.* talitèr, certum est, quòd eget auarus, vt de eo dicat Dauid, quòd *Nil inueniunt viri diuitiarum in manibus suis, & idè, Martial. teste:*

Non sibi, non alijs prodest, dum vivit auarus.

4 Imò Hæreticorum proprium vitium est auaritia, *D. Petr. epist. 2. vers. 3.* cū verum sit, quod docetur *Eccl. 10. c. 10.* nempè, quòd auarus animam quoque venalem habet.

5 Sed auaritia nulli maius affert detrimentum, quàm Iudicibus, & iustitiam Ministrantibus. Hæc omnium malorum radix, si eorum inhæreat animis, *text. in §. quapropter, Auth. vt Iudic. sin. quoq. suffrag.* Imò & elementum, vt inquit *Socrates.* Mater scelerum, vt aduertit *Claud. lib. 2. in Stillicon. laud.* nàm verum experitur, quod ad rem canit *Lucan. lib. 3. de bell. civil.*

. . . Pereunt discrimine nullo

Ammissæ leges, &c.

Siquidem lucri studium omnia corrumpit, *Lips. 3. polit. c. 6.* & vt inquit *Lucret. lib. 3. de natur. rer.*

. . . Auarities, & honorum cæca cupido,

Miseros homines cogunt transcendere fines.

6 Pessimum certè veri affectus, & iudicij venenum sua cuiq; vtilitas, *Tacit. 1. Histor.* etenim non habentibus diuitias, habendi iniicit auaritia cupiditatem; habentibus adimit satietatem, hanc mediocrem fraudibus excolunt, Diuites impotentia; Iudices gratia; Di-



ferti mercenaria ; ac duplici lingua ; Reges superbia ;
Negotiatores astutia ; Inani pauperes voto , *S. Zeno.*
serm. 2. de avar. ad eò quòd sanè exclamat Virg.

*Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames ?*

Mala breuiter, sed studiosè epilogat vulgari lingua,
at non vulgaris Poeta *Crass. in epistol. fol. 212. ibi:*

*Ire accende, armi aduna, inganni intesse,
E differrando ad ogni vitio il varco,
Sparge velen sù le virtudi istesse.*

Fugienda itaque auaritia à Iudicibus, ac Reipublicæ Receptoribus, & sanè: nam ibi leges nil possunt, ubi regnat pecunia; quod benè nouit *Petron. arbitr. in satyr. dum inquit ad rem:*

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat ?

Et quidèm quis non latrocinabitur sine reatu, ad Iudicem respiciens, qui reos à delictis per pecuniam absoluit? *Cirill. Fulg. in summ. de magistr. creand. §. 3. ant. nu. 1.* Nullam certè pertimescit culpam reus, quã redimere nummis existimat; auaritia tanti est mali causa, imò & ultra. Hæc *Plaut. in Pseudul.*

Si lucri quid detur potius rem Diuinam deserã.

At absit, hoc absit. Audi Christiane Iudex Vatem non fabulantem *Martial. 8. epigramm:*

Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.

Et experimento videtur in dies, quod iuxta illud *Nasonis lib. 3. eleg.*

Iam malè quasitas puluere vertit opes.

7 Re-

7 Reginam ergò illam procacium vitiorum auariti-
am fuge, cui cuncta crimina detestabili famulantur
deuotione, quæ dum pectus hominis ingressa fuerit,
gregatim quoque malefidas ammittit cohortes. Mo-
nitum sanè est, quod etiam vult *Claudian. libr. 2. in
stillic. laud. dum inquit:*

*At primum scelerum matrem, que semper ha-
bendo*

*Plus sinens patulis rimatur faucibus aurum
Trudij auaritiã, &c.*

Et ideò lex erat optima Thebanis, eum qui decem
ipfos annos à commercijs non abstinuisset, non ad-
moueri ad gubernationem, *Aristotil. 3. politic.* Auro
namq; Iustitia violari non debet. Et quis est, qui igno-
ret, quòd amor, commodum, & proprium commodum
faciunt Iudicem non cognoscere veritatem? Iudex
auarus nunquam iustus erit, *E Adyt. Patavin.* Hæc
sors data, inquit *Liui. lib. 22.* priuatæ res semper offi-
cere, officiuntque publicis consilijs, quod etiam ad-
uertit *Salust. Catillin. ibi: Duo boni consilij instrumen-
ta, Fides, & Probitas; sed utramq; euertit Auaritia, ex
quo neque quicquam certè est, quod non audeat mali, qui
se habendi semel cupiditatibus dedit, preponit enim lu-
crum honestis.* Hincque tot proditores, fures, & latro-
nes, imo pudoris proprii contemptus, *Tolosan. syn-
tagm. art. mirabil. libr. 40. c. 5. vol. 2. fol. mihi 964.*

8 Hinc est quòd Iudex, Reipublicæque Receptor, qui
Deum timet, quærere non debet, vt fiat diues per fas,

D d 2

& ne-



& nefas : qui enim sic diuites fieri volunt, incidunt in tentationem, ac in laqueum Diaboli, & desideria multa, & nociua, quæ mergunt hominem in perditionem, & interitum, vt scripsit *D. Paul. ad Tymoth.* & vt habetur in *Iob. 15. Ignis deuorabit tabernacula eorum.*

9 Vndè illis, qui iustitiam regunt, plus quàm alijs cōgruum opum contemptus, hocq; docet *Porc. Ladron.* dum inquit: *Diuitias nē putatis argentum, & aurum, ludibria fortunæ, quæ inter iocum ipsis Dominis veniunt? Nequaquam fragilis, & caduca fælicitas est, & omnis fortunæ blandientis speciosus, cum periculo nitor., & sine causa sæpè fluit, & sine ratione destituit. Præter quã quòd, vt ait Iuuenal. sat. 14.*

. . . *Diues qui fieri vult,*

. . . *Quæ reuerentia legum,*

Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari?

10 Venenum in auro bibitur, sicuti testatur *Seneca in Thies.* Fælicitates, atq; opes dat maximas fortuna multis, non quod illos diligit, sed de gradu præstantiore vt decidant, *Arist. 2. Rhetor. c. 30.* Quarè sapientissimè *Senec.* monet *epist. 17.* *Si vis vacare animo, aut pauper sis, oportet, aut pauperi similis.* Quod satis est cui contingit: Nil ampliùs optet, *Horat. lib. 1. epist. ad Loll.* Quicquid est domi, id sat habendum est, *Plant. in Rudent.*

*Non possidentem multa, vocaueris
Recte beatum; rectiùs occupat*

Nomen

Nomen Beati, qui Deorum

Muneribus sapientèr uti,

Duramq; callet pauperiem pati.

11 *Orat. oda. 9. lib. 4.* Hoc proprium Sapientis Rectoris cum *Plaut. in Mustell.* Si bonam famam mihi seruabo, sat ero diues, & refert *Vini. dec. 399.* Somniat Imperator ille Vespasianus, cuius erat vox, apud *Iuuenal. cit. satyr. 14.*

Nec credas ponendum aliquid discriminis inter Vnguenta, & coirum: Lucri bonus est odor ex re qualibet.

Caue: nam turpe, ac nefas, si iuxtà illud *Propert. lib. 3. eleg. 13.*

Auro pulsa fides, auro venalia iura,

Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

12 Pecuniam negligere, maximum in Iudice lucrum est, *Terent. in Adelp.* Iudex auarus periurus est, adeò quòd scripsit *Menand.* *Nullus iustè continuò viuens diratus est.* Vndè sanè *Plaut. in captiu.* *Odi ego aurum, multa multis sæpè sua fit perperam.* Et Diuina vox est, in *Deutor. 16.* *Qui quærit locupletari, peruertit oculum suum, & ideo cum eodem Vate:*

Pera il metallo gratioso, e biondo

Ch'anco Astrea piega il braccio all'aureo incarco,

Et la raggion vâ col suo peso al fondo.



M O N I T V M XXXVII.

Cautè, & castè à Iudice, & Reſtore viuendum.

S V M M A R I V M.

- 1 *Omnis etas prona ad libidinem, & ideò si non castè, cautè.*
- 2 *Contrarium: nàm castè, & cautè viuendum, & quare vsq; ad nu. 14.*

C A P. XXXVII.

1 **I**ngenium est omnium hominum, ab labore procliue ad libidinem, *Terent. in Andr.* Nascitur enim irascibilis, & concupiscibilis homo, vt inquit *Aristotil.* & difficile est utiq; præsertim iuuenales obtemperare calores, dum omnis est ætas ad libidinem prona ab adolescentia sua, *Marc. Mantua cons. 43.* quamobrè, posse Iudices, & Officiales in Ciuitate eorum Iurisdictionis detinere concubinas, tradit *Paris de Puteo in tract. de syndic. vers. Adulter, nu. 11.* & fertur vulgo: *Si non castè, cautè.*

2 Veritas tamen est in contrarium: nàm luxuria est tantæ improbitatis, quod totum fœdat, totum inficit, totum aquis diluuij consumit, *D. Ambros.* Siquidem quid luxuria fœdiùs? quid uè ea damnoſiùs, à qua virtus

rus destituitur, ratio languescit, gloria commutatur in infamiam, & animi vires, & corporis expugnantur? vt scripsit *Valer. Maxim.* & confirmat *Pittagoras*, qui interrogatus, quo tempore danda opera Veneri? respondit: *cum se ipsum homo debiliorem, & imbecilliorē fieri uolet.* Nec ideò esse poterit, vt homo delicatus, & effeminatus, animo, ac corpore labefacto quotidianis voluptatibus, virtuti præbeat domicilium, *Philipp. Hæbre. lib. 3. de vit. Moys.* Vndè monitum est sapientissimè *Aristotel. ad Alexandr.* *Nolite inclinare ad coitum mulierum, quia coitus porcorum quedam proprietas est. Et Senec. in Hippol.*

Compeſce amoris impij flammæ, precor.

3 Siquidem Amor est magnus Demon, vt inquit *Plat. in Conuit.* & dulcedo illa breuis, & sensus spurcæ voluptatis humanæ altitudine indignus, præcurrentes, & subsequentes curæ dolores, penitūdines, suspiciones, miseræ, cruciabilitates, vt notat *Iacob. Pontan. Eth. Ouid.* cum re vera amoris flamma paruo quidè amore delectet, sed fomento consuetudinis extenuans, immodicis ardoribus totum adurit hominem, *Apuleius in Asin. lib. 3.* Vnde licèt alij dicant describendo Amorem, quod:

Est placidus serpens grata venena mouens.

4 Meliùs tamen conuenit descriptio, quam tradit *Iocosus Merlin. Coclai in princ. Macar. ibi:*

Est amor angoseiæ species, mentisq; Diuol.

Cum paucis opertum sit, quòd uenere, corpora,

&



& animus perturbantur, *Aristotil. lib. 7. ethic. c. 3.* ad eò quòd Venus ipsa adigit homines ad insaniam, vt *ibid.* tot que, tantaque parturit Amor mala, vt ea expertus sic canat Amoris Magister *2. de art.*

Quot Lepores in antro, quot Apes pascuntur in Hybla,

Lictore quot concha, tot sunt in amore dolores?

Et Vates, cui fuit cordi laurus, & Laura in latin. oper.

*Ehù qui dixit amor, meliùs dixisset amaror,
Si bene nouisset, quàm sit amarus Amor.*

Vnde sapientissimum *Terentij* dictum de spectac.
Nulla maior voluptas, quàm voluptatis fastidium.

5 Et quidè defiunt menti, dum libidini, seu luxuriae suppeditantur alimenta; ita vt testetur *Seneca in octau.* Totum per Orbem maximum exortum esse malum, Luxuriam.

6 Quod si generalitè verum est, tanto magis debet, qui alios regunt, & iudicant, castè viuere: siquidem amor insanie proximus, foedam, & minime conueniēs animo sopiti vitium turbat consilia, omnibus inutilis, ipsi nouissimum amori facit, *D. Hieronim. lib. 1. aduert. Iouin.* & vt ait *Tacit.* Animo per libidines corrupto, nil inest honestum. Nec vlla maior causa ad malum, quàm turpis amor, ac intemperata libido, *Thesaur. decis. 12. nu. 10.*

7 Et quamuis sit opinio supracitati Doctoris, vt in foro fori non puniantur Iudices, alijq; Officiales, qui deti-

detinent concubinam; contrarium est in praxi receptum. & vt refert *Thor. ad Salernit. decis. 57. num. 20.* fuerunt acriter reprehensi, ac ab officio remoti Officiales nonnulli, qui concubinas habebant tempore gubernationis *Excell. Comitis de Lemos iunioris.* olim huius Regni Proregis; debent enim Iudices, & Rectores castè viuere, nec habitare possunt cum Deo, qui foeminarum accessibus copulantur, *Cirill. Fulg. in summ. crim. rubr. de his qui. act. post §. 1. nu. 20.* quod docet *D. Paul. 1. ad Corinth. 6.* dicens: Nolite errare. Nam neque fornicarij, neque adulteri Regnum Dei possidebunt. Nec teste *Venusin. sat. 2. lib. 1.*

Inter

Est, in matrona, ancilla, peccesue Togata.

8 Vnde nec eis licitum vilo modo detinere foeminas, si periculum oriatur, vel scandalum; foemina namq; conscientiam secū habitantium exurit, *Cirill. loco cit.* & periculosa est mulierum, & virorum cohabitatio, *D. Ciprian. lib. 1. epist. 11.* Quoniam nil est periculosius viro, quàm mulier; mulieri, quàm vir; vterque ignis, & palea, & Diabolus nunquàm insufflare cessat, vt inuicem accendantur, ita vt praelij huius nunquàm victor fiet, nisi fugiens, *D. Hieron. relatus à Boer. decis. 297.*

9 Non fuit certè de hoc seculo mulier illa, quæ apud Sulmonensem Vatem *lib. 3. metamorf.*

Ante, ait, moriar, quàm tibi sit copia nostri.

Vnde apud *Crassum in epistolis* materna lingua:

E c

Per-



Perche sola honestà non si corrompa,
Mora beltà, pera la vita, e pera
Ogni gloria, ogni fasto, & ogni pompa.

Hodie dicendum utiq; cum *Vticense* Catone, quòd si absq; fœmina posset esse mundus, conuersatio nostra non esset absq; Dijs. Summoperè igitur euitanda pericula, fugiendæ præuiribus etiam pusillæ occasiones; quod etiam aduertit *Plaut. in Stich.* dicens:

*Qui potest mulieres euitare, vitet, ut quotidie
Pridie caueat, ne faciat, quod se pigeat postridie.*

IO Et docet *S. August.* Mulierem videre, esse malum, alloqui peius, tangere pessimum. Etiam aspectu appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis, sunt verba *Cirill. loc. cit. §. 1. de dol. mal. animos habere pudicos: nam si oculos impudicos habetis, impudicus oculus, impudici cordis est Nuncius.* Vndè Vates:

*Qui videt, is peccat, qui non te viderit, ergò
Non cupiet, fati crimina lumen habet.*

II Vulgi sunt deliria, dum fertur, ut potius viuendum sit cautè, quàm castè; fuitq; & impia vox *Spart. in Anton. Caracall. Licèt si libet.* Nam Rector optimus est, qui suis voluptatibus non famulatur. Hoc proprium Regentis, ità nempè viuere, ut nulli seruiat cupiditati, cum nulla sit maior victoria, quàm fui, *Tull. ad Syll.* Amare, & sapere vix Deo conceditur, ex *Seneca*, & concubinatus est generalitèr prohibitus, etiam de Iure Ciuili, ut dicam latius in tract. *de delict. c. 28.* etenim si amor est delectatio cordis, est etiam priuatio cerebri.

12 Et

12 Et ideò opportunè monitum, ex lib. 1. de remed. amor.

*Vtile propositum est, aquas extinguere flammam,
Nec pectus vitij seruum habere suum.*

13 Hæc erit vera fortitudo cum gloria Regentium; non est enim, quem lateat, quot mala eueniant Dominantibus, si eis dominet intemperata libido, & quanta sibi assumat onera, qui fœminæ seruit. Quidam his verbis lusit:

*Fœmina corpus, opes, animum, vim, lumina, vocem
polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat,
occiditque animum consortia fœdera, famam
Debilitate, perdit socios, aufertque fideles.
O Deus! quantis animus versatur amantis;
Eneruat studium perniciofa Venus.*

14 Castè ergò viuendum, & procedendum cautè cum fœminis:

*Che se lampo celeste in lor fiammeggia,
Spesso fulmina il Ciel, quando lampeggia.*

M O N I T V M XXXVIII.

Temperantiæ oportet esse Deuotum.

S V M M A R I V M.

- 1 Intemperantia magni detrimenti.
- 2 Gulosi diu viuere non possunt.

E c 2

Ali-



- 3 Alimenta quomodo debeant sumi? refertur.
 4 Regentes debent priuatos antecellere temperantia.
 5 Hyppocrates fuit temperatissimus.
 6 Non laudatur Pittagorica dieta, at damnantur crapula.
 7 Turpe ut Reipublica Reſtor ſit in victu immoderatus.

C A P. XXXVIII.

FVit ſemper intemperantia corpori, & animo non magni detrimenti: etenim omnium perturbationum eſt fons, quæ eſt à tota mente, & recta ratione defectio, ſic aduerſa à rationis præſcriptione, ut nullo modo appetitiones animi, nec regi, nec contineri queat, *Tull. lib. 4. queſt. Tuſculan.* & in contingenti *Galen* i teſtimonium eſt, quòd non ſaturitatem appetitui, ſed caliginem menti effudit intemperantiæ crimen, & crassus nimium venter debile parit ingenium.

- 2 Et quidem immoderatio, non ſalutem, ſed periculum affert, *Iſid. 4. ethic.* ad eò quòd, eod. teſte *Galen. de loc. affect. cap. 3.* gulofì diù viuere non poſſunt, nec ſani eſſe; quare tuendæ valetudinis profeſſio eſt, neq; ſatietas cibi, neque pigritia ad laborem: acuit enim temperantia mentem, ciborumq; parcus ad omnem opus promptus eſt. Vndè *Horat. lib. 2. ſat. 2.*
Alter ubi dicto citius, curata ſopori

Mem.

- Membra cedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.*
 Imò ditat ingenium, expletque ſenſum, ut aiebat *Pittagoras.*
 3 Appetitus ergò rerum ſaturetur temperantia, cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis frigus arceat, domus ſit munimentum aduerſus infecta, his temperans expletur homo, qui tam benè tegitur culmo, quàm auro. Vndè ſapientiffimè *S. Auguſt. conf. 10. cap. 31.* ità ſcribit: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamento, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Propter crapulam perierunt multi, & ideò, qui abſtinens eſt, adijciet vitam, *Eccleſiaſt. 37. c. 34.* facultatis humanæ appetentis ea libido eſt, quæ ſemper fame torquetur, niſi temperantia ſuos moderetur impetus. Maiori ſiquidem ſemper extuat ſitis ardore, qui magis explet bibendi cupiditatem, & iuxta illud *Ouid. 1. faſtor.*

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

- 4 Quæ utique cum ſint generalitèr vera, tanto magis certo certius eſt, congruum eſſe dogma Iudicibus, ac Regentibus, quorum officium eſt, non mollitijs, lenocinijs, ac delicijs; ſed temperantia, ac fortitudine priuatis hominibus antecellere, *Ageſilaus* apud *Plutarch.* nam mens, quæ per intemperantiam ſuo deſtituitur lumine, nequit videnda providere, aut agenda diſponere, ſicque malè iudicatur, malè Reſpublica regitur, quod cum opertum non habuiſſet *Cur. Dentat.* exclamans ait: *Froh dolor! Pereunt Reſpublicæ, ne pereant Epule.*

5 Imi-



5 Imitandus itaq; Hyppocrates, quem sobrium, ac temperatissimum fuisse, refert *Aristotil. lib. 3. secret.* dùm verè generosa res est, respicere non ad suas, sed ad naturæ suæ vires, sicq; erit edendi, bibendiq; finis, desideria naturæ restringere, non implere aluum, & exinanire, vt monet sapientissimè *Seneca*. Vndè ait *Anachars* apud *Tull. Fame pro cibo, solo pro cubili, Scytarum veste pro tegumento contentus sum.*

6 Absit tamen pittagorica diæta, quam deridet *Antiphanus*, dùm inquit:

Quidam Pittagorici fortè, miselli

Vescuntur in specu altera.

Nàm crapulæ tantùm damnantur, ac ij, quibus Deus venter est, pulmo Templum, & equalicul. Altare, vt notat *Tertullian. aduers. Phis.* qui enim modum in medijs transijt, is vituperandus est, *Aristotil. 7. ethic. cap. 4.*

7 Monet ideò Sapiens in *prover. cap. 23.* *Noli esse in conuiujs potatorum, nec in commensationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potib. & dantes symbola consumentur.*

Chi del sozzo Epicuro

Spienserato seguace

In prodighi conuiti i di dispensa,

Di Genitor tenace

Faticoso sudor strugge una Mensa.

Nec mentitur *Innoiose* Commendator in *lyricis.* Apãge igitur, nàm furor, & infania è ventre manant, & de

de statu rationis animam deturpat nimia sagina. Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, moderatum, pudicum, tacitum, serium, & verecundum, *S. Prosper lib. 3. de vit. contempt. c. 161.* quæ omnia cùm sint sub virtute, ac Christiano Rectori necessaria, inter alias virtutes hanc & puto congruam, quæ maxima est, *Isocrat. orat. 13. de pac. & 3. ad Nicodem.* & sub ea omnes ferè aliæ continentur virtutes; de quibus latè *Theolozan. lib. 39. syntagm. cap. 11. de temper.* Vch Terræ, cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt, *Ecclesiast. cap. 10.* Est enim verum, quòd ab intemperato Rectore nil boni expectari potest, *Plin. in epist.* cùm non releuet, pectus, & caput præstare humanum, si reliqua transfundantur in brutum. Vndè & turpe nomen Sardapali. Proindè congruum, temperantiæ esse deuotum; etiam, quia teste *Lucret. lib. 5. de natur rer.*

Diuitie grandes homini sunt, viuere parce

Æquo animo, neque enim est vnquam penuria parui.

M O N I T V M XXXIX.

Cum temperantia socianda sobrietas.

S V M M A R I V M.

- 1 *Sobrietas quid sit.*
- 2 *Detestatur Ebrietas.*

3 *Ini-*



- 3 Iniquitas Sodomæ, quæ fuit, refertur.
 4 Vinum multum potatum multa mala parit, & quæ.
 5 Vina vincerunt Loth.
 6 Antiqui quomodò depingebant imaginem sobrietatis.
 7 Antonius Triumvir ebrietatem commendat.
 8 Sobrietas qualis esse debeat.

C A P. XXXIX.

1 **S**obrietas est, quæ ebrietati aduersatur, vt testis est Seneca. Vndè describitur, quòd sit effectus moderationis contra incentiuum crapulæ, & diluuium ebrietatis, Cicer. de offic. Quàm verò detestabilis sit ebrietas, & maximè in is, qui præsumunt alijs, patet ex se: etenim rabies est voluntaria, hostis inuitatus, venenum dulce, blandus Dæmon, quam, qui habet, se non habet, & vt scripsit S. Augustin. sunt inidoneæ ad omnes fructus ebriosæ paludes; sunt pectora vliginosa ad omnes fruges inutilia, quæ nimis imbris illapsu macerata, nil, nisi spinas, & tribulos profundunt. *Dementia paludes sunt, inquit Plin., in quas demerguntur ebriof, etiam viuentes.* Suntq; & quamplures pessimi effectus ebrietatis, sed præcipuus, & peior est, quòd ebrietatem subsequitur arcanorum proditio, phylantia, & superbia; Vndè Vates,
 Arcanaq; cuncta.
 Vinum errans aperit temulentis noxio vinum,
 Quod mentes fallit.

Et

Et clariùs Virgil. de vener. & bacch. dùm canit;
 Arcanum demens detigit ebrietas.

Et quidè, vt aduertit Horat. lib. 1. epist. ad Torquat.
 Quid non ebrietas designat? operta recludit
 Spes inbet esse ratas, in prælia trudit inermem,
 Sollicitis animis onus eximit, ac docet arteis
 Fæcundi calices, quem non fecere desertum,
 Contracta, quem non in paupertate solutum.

- 3 Hæc fuit iniquitas Sodomæ, abundantia, saturitas, otium, vt scribitur in Ezechiel. cap. 16. & Ozeas 4. cap. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.
 4 Vinum multum potatum est amaritudo animæ, virtutibusq; omnibus ianuam claudit, semperq; fuit detrimenti, Valer. Maxim. lib. 6. Et ratio exultat, intellectus obtunditur, consilia deuiantur, atque iudicia subuertuntur, vbi regnat ebrietas, S. Hieron. in sermon. Animæ temulentæ vino naufragantes sic pereunt, & obruuntur, vt nihil retineant humanum post periculum. Furor, & insania è ventre manant, & de statu rationis animam deturpat nimia sagina, Quotidiano enim experimento probatur, potus satietate aciem mentis obtundi, & vigorem cordis hebetari, S. Leo in serm. ieiun. Et quæso, quæ peccata non facit ebrietas? homicidia, vulnera, violentias, mendacia, falsa testimonia, detractiones. Nulla latior, nulla securior porta, qua ingrediatur Venus, quàm Vinum. Venter enim æstuans, facile, ait Hieronymus, despumat libidinem; & refert Capiton. in explicat. locorum Bibliæ, ex-

Ff

plic.



plic. 14. Indè sacrilegium sanè reputatur in foeminas, *D. Hieron. in regul. monac.* ità vt audeat dicere Au^{ct}or Operæ imperfectæ, quòd omnis mulier, quæ sit violenta, & commensatrix, haud sit casta, & ideò *Baprista* teste:

A gran raggion, quando dall'vue nasce

Di tante enormità l'infame autore

Fatiga vn toscio ad affogarlo in fasce.

- 5 Cum temperantia igitur socianda sobrietas. Vina enim vincerunt Loth, quem non potuit vincere Sodomam, *Capiton. loco cit.* quo ostenditur, varia fieri adulteria, pollutiones, turpitudines, & peccata per ebrietatem; & idcirco fugienda, vt docet *Apost. ad Ephes. 5.* monens: *Nolite inebriari vino, in quo luxuria est. Quæ enim gloria est sapere multum? cum omnes vinceris,* inquit *Seneca, hac bibendi virtute, vinceris tamen à Dolio;* etenim non est animus in sua potestate euctus ebrietate, vt aiebat *Zeno.* Extinguitur homo largius potando, & perit rationis naufragio. Et ideò antiqui depingebant imaginem Ebrietatis apud *Pausaniam* ex poculo vitreo bibentem, & quod facile ex ebrietate frangeretur, & deperderetur ratio. Sanè ideò dictum:

Non benè Palladio vinum miscetur oliuo.

vt habetur ex *Gilberto Gionina in Ethica Poesia centur. 1. dec. 2. num. 8.*

- 7 Vnus est *Antonius Triumvir* apud *Plinium*, qui ebrietatis foeditatem commendat, & sobrietatem detestatur, vt ibi.

At

At absit. Nam *Isaias* clamat c. 5. *V'è qui consurgitis mane ad ebrietatem se^{ct}andam, & potandum vsque ad vesperam, & vino estuetis; Cithara, & Lyra, & Tympanum in conuiujs vestris, & opus Domini non respicitis.* Beata Terra est, cuius Rex nobilis, & cuius Rectores vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriandum, *Ecclesiast. 10. d. 17.* Iustitiam ministrantes cum speculum esse debeant subditis suis, turpe certè, ac nephas ebrietati se deuoluere, *Mastrill. de Magistrat. lib. 2. c. 2. n. 67.* Et ideò debent esse

8 sobrietati deuoti, non tamen prout veteres Seniores, & Sapientes ità sobrietatis Hydoprocæ facti, vt sibi omnem indicent abstinentiam vini; non prout *Brachmani* apud *Clementem Alexandrinum*, qui discipulis præponebant aquæ potum, & panem. Mensura huius virtutis ea est, qua & florentes ætate abstineant immodico potu, & prouecti modicum adhibeant, ità vt ad concitandas cupiditatum tempestates sit impotens. Ad hoc scriptum, ex *Propert. lib. 2. eleg.*

Vino forma perit, Vino corrumpitur atas.

- 9 Et ideò est effugienda ebrietas, non potus: nam ea est, quæ efferat animos, *Senec. lib. 8.* cœterum cum vinum sit creatum ab initio in iucunditate, & non in ebrietate, exultatio animi, & cordis vinum moderatè potatum, sanitas est animi, & corporis sobrius potus, *Ecclesiast. c. 31. a 35.* Nec dicit *Apostol. loc. cit.* non utamini vino; sed nolite inebriari vino, vt notat *Capiton. ibid.* Hocque est monitum Domini, *Luc. 21.*

Ff 2

At-



Attendite vobis nè corda vestra grauentur crapula, & ebrietate; ità vt Vate Mantuano sic monente de Venere, & Vino:

Vina sitim sedeant, &c.

Fines transilysse nocet.

IO Quod si generalitèr verum, tanto magis Iudicibus conuenit, ac Reipublicæ Christiano Reçtori. Vnde idem *Gilibertus loc. cit. cent. 2. dec. 5. num. 10.*

*Res inimica mero sapientia. Palladis arbor
Vt vireat, debet vicibus esse procul.*

MONITVM XL.

Mansuetudine cobibendus iræ furor.

SVMMA RIVM.

- 1 In quibus consistat esse mitem? refertur.
- 2 Temporanda est ira, & quare.
- 3 Mala referuntur, quæ ex ira proueniunt.
- 4 Monita diuersorum ad iram temperandam.
- 5 Ira, plusquam in alijs, damnatur in Iudicibus, & quare.
- 6 Tullij monitum expenditur.
- 7 Prohibenda maximè ira, cum agatur de adhibendis pœnis.

CAP.

C A P. XL.

I IN duobus consistit esse mitem, quod utique sub virtute est: nempè quòd homo non irascatur; & quando irascitur, iram temperet, vt docet *D. Thomas*. Vires enim acquirit eundo furor absq; freno, & rationem aufert:

*Furor namq; iraque mentem
Præcipitant.*

Vt canit *Virgil.* adeò quòd inquit *Terent. in Heaut.* *Præiracundia Menedeme non sum apud me.* Et in *Adelph.* *Ah me miserum! vix sum compos animi, ità ardeo iracundia.*

- 2 Eaproptèr sapientis erit non irasci, vel saltèm temperare iram: siquidem iræ perturbatio hominem penitèus conuertit in færam, *S. Basil. in hom. de ira.* Cuius furorem, breuem, & insaniam temporaneam, dixere Sapientes, & iratum ab insano, non nisi tempore distare, inter cœteros pronunciauit *Cato Maior*; nec ira nullam celerius ad infamiam, viam, vt inquit *Senec. ibid.* Maximus aculeus est ad pericula subeunda, *Aristot. 3. ethic. c. 8.* dùm incipit, tota est, *Senec. loc. cit. de ira.* Inde vir iracundus effodit peccata, *Cassan. de super. ira. c. 1.* & in *prover. 27.* *Graue est saxum, & onerosa arena; sed ira utroque grauior.* Et *D. Augustin.* irà scribit de ira. *Festuca in oculo ira est, trabes verò odiũ.* *Festuca initium trabis est, nam trabes quando nascitur prius*



prius festuca est, rigando, festucam deducis ad trabem, alendo iram malis suspicionibus perducit ad odium, vt in *lib. de ver. Domin. serm. 16*. Nil in ira magnum, nil nobile est, *Senec. loc. cit. cap. ult.* Ira patri luctum, marito diuortium attulit, Magistratui odium: peior est etiam, quàm luxuria, ex quo illa sua voluptate fruitur, hæc alieno dolore, *Senec. ibid. fol. 79*. Dat pœnas, dùm exigit, naturam hominis mutat. Vndè Alexander, dùm obijcit Lyfimacum, dùm Clitum hasta trãfigit, dùm Calistenem mori cogit, Alexandrum non esse, ipsemet testatur Alexander; ità vt sit verum Crispi Imperatoris symbolum:

Homo iratus non homo.

3 Sanè ergò furor, & indignatio damnatur. Motus tardus magnanimi viri est, *Aristotil. loc. cit. c. 8*. Vir bonus exequitur officia sua intrepidus, & inconfusus, & sic homo viro digno faciet, vt nil faciat viro indignum, *Senec. loc. cit. cap. 16*. Et amabo, quid stultiùs, quàm ab iracundia petere præsidium, rem stabilem ab incerta, fidelem ab infida? Nulli, certo cerciùs est, affectuù peior est vultus nulla sordidior nota, quàm iræ, Vndè *Ouid. 3. de art.*

*Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina gorgonio, sæuius angue micant.*

Hæc eodem Vate teste *epist. 12. Herod.*

. . . *Ingentes parturit ira minas.*

Et vt notat *Euripides in Archeloo*:

. . . *Protudit enses,*

Et

Et miseris inimicat vrbes.

Arcana non retinet, vt probat *Horat. lib. 1. epistol. ad Quint. ibi canens*:

*Arcanum neq; tu scrutaueris illius unquam,
Commissumue teges, & vino tortus, & ira.*

4 Itaque, dùm teste eodem Vate *epist. 8. lib. 1. ad Loll.*
*Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catens.*

Monetque *Terent. in adelph.* dicens:

Reprime iracundiam, atque ad te redi.

Et *Naso 3. epistol. Herod.*

Vince animos, iramq; tuam, qui cœtera vincis.

Et monendo dat rationem *Stattius lib. 8. Thebaid. ibi*:

*Da spatium, tenuemq; morã, mala cuncta ministrat
Impetus*

Iraſci enim in quibus non oportet, insipientis est, dùm cum ira nil rectè, nil consideratè fieri potest, *Cicer. 1. offic.* & ideò finis iræ, semper initium pœnitentiæ est, *Senec. in prouerb.* Proindè ex *Tragico in octauiæ.*

Pulchrum eminere inter illustres viros, &c.

Tempus atque iræ dare.

Quapropter ac ad incendium, sic ad iracundiam tollendam, recurrentum est, vt consulit *Heraclius Ephesius ex Thesaur. aphorism.* Ex quo cœtera vitia compellunt hominem, sed ira præcipitat, *Senec. ibid. de ira lib. 3.* Sicque quo plura possis, plura patientèr feras, *Senec. in Troade, nam sanè Claud. in cons. Manlij.*

Dij



Dijs proximus ille est, quem ratio, non ira mouet.

5 At plusquam in alijs, damnatur certè in Iudicijs ira; quoniam iratus Iudex, qui accedit ad pœnam, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum, *Tull. 2. de offic.* Debent Magistratus, & Iudices se eximere ab omnibus affectibus, siue animi passionibus, quæ solent rectos hominum sensus peruertere, *Senec. epist. 60.* Sacræ leges ab omnibus exigunt sinceritatem, & animum tranquillum, nullis obnoxium perturbationibus tam præcipuè ab ijs, quibus iudicandi potestas obuenerit, *Simanch. de Republ. lib. 6. c. 5. & Phil. lib. de Iudice.* Sed præcipuè cauere debent, nè incidant in iracundiam in administrando iustitiam. Turpe siquidem si plura iudicant homines, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, siue aliqua promotione mentis, quam veritate, aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus, *Cicer. 2. de orator.* Inde euenit, quod aduertit *Petr. Blesen.* relatus à *Mucci dilucidat. § 2. ad Sanfel. nu. 8.* nempe, vt sit officium Officialium iura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, suppressere veritatem, fauere mendacium, quæstum sequi, equitatem vendere, inhiare actionibus, & concinnare versutias.

6 Idcirco, vt monet *Tull. lib. 1. officiorum.* In iuris æqualitate exercenda, etiam est facultas, & altitudo animi, nè irascamur, aut intempestiuè accedentibus, aut

aut imprudentè rogantibus in morositatem inutilem, & odiosam incidamus, *Qui dum iudicare incipiunt, irascuntur, ipsam iudicij scientiam vertunt in insaniam, S. Isidor. lib. 3. c. 56.* nam per iram impeditur distinctio veri à falso, cum examen iudicij nequeat Iudex plenè considerare, quoniam caliginem furoris non videt; & Iudicantes, ac qui regunt iustitiam, iuxta illud Prophetæ: *Conuertunt in furore iudicium.*

7 Sed maximè prohibenda est ira, cum agatur de adhibendis pœnis, *Tull. loc. cit. Etenim, vt sapientissimè habetur apud Cotzen. si tantum irasci vis, quantum scelerum requirit indignitas, insanendum potius, quam irascendum est.* Idcirco tantum ille:

. . . *Qui facta rependet*

Consilio, punire potest mucrone cruento.

vt aduertit *Claud. in consul. Manlij.* Vnde *Senec. ibid. de ira c. 29.* *Multos absoluemus, si ceperimus ante iudicare, quam irasci.* Ira, & vindicta Nobilissimarum Ciuitatum fundamenta vix notabilia deiecit, vt inquit *idem Seneca,* & teste *Menandro,* plures fecit eadem solitudines habitatione desertas, dum verum quod:

Mala perpetrare cogit ira plurima.

Manfuetudine ideò cohibendus iræ furor, ac moderanda ira, si irasci contingat: Mediocritas enim in ira manfuetudo nominatur, & clementia, ac clemens est, qui modum in ira tenet, adeò quòd si Iudices, Reipublicæque Rectores fuerint manfueti, omnia quidem, ac passiones superabunt cunctas, & vincent: nam re vera:

G g

Quid



*Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.*

MONITVM XLI.

Nil agendum ex priuata vindicta cupiditate.

SVMMARIVM.

- 1 *Dogma Neronis refertur circa vindictam.*
- 2 *Vindicta veriùs improbat.*
- 3 *Magnanimus nūquam iudicat sibi contumeliam fieri.*
- 4 *Nobile genus vindictæ est, ignoscere, exemplo M. Catonis.*
- 5 *Actiões iustitiam ministrantium referendæ ad exemplum, non ultionem.*
- 6 *Vbi vindicta, non est temperata iustitia.*
- 7 *Carmina referuntur Fuluï Testi in lyricis.*

C A P. XLI.

1 **E**Xtinguere hostes, maximam esse virtutem, est Neronis dogma apud Senec. in Octau quod iam factum vulgare vulgò circumfertur etiam in scenis:

E' pazzo il Mondo, e cieco,

Che virtù perdonar l'ingiurie chiama'

Perche honor non conofce, honor non ama'

2 *Sed caueant Christiani Iudices, ac Rectores, cantilenis*

lenis similibus præbere aures; siquidem magna fortuna, magnum animum decet, cuius est proprium, placidum esse, & tranquillum, iniurias, & offensiones supernæ despiciere, Senec. 1. de clem. Alia enim est Iustorum, alia Reproborum fortitudo; Iustorum in tolerandis malis; Reproborum in inferendis, D. Gregor. lib. 7. moral. c. 4. & benè quippè dictum, quòd magnanimus iniurias non meminit, Aristotil. Ethic. lib. 4. Vndè testatur canendo Claudian. de bell. Getic.

Ignoscere pulchrum.

Prout è cōtra, si Iuuenali sit adhibenda fides satyr. 13.

Infirmi est animi, est exiguique voluptas

Vltio, &c.

Quare indè dictum opportunè à D. Isidor. lib. 2. soliloqu. dùm ait: *Magna est virtus, si non ladas eum, à quo latus es; Magna est fortitudo, si etiam latus remittas; Magna est gloria, si cui potuisti nocere, non noceas, & parcas.* Doctrina viri per patientiam noscitur, vt docet D. Gregor. sup. Euangel. homil. 35. & nulla sunt bona, quæ agimus, nisi equanimiter proximorum mala toleramus, idem loc. cit. Indè prudentis est, nolle nocere, cùm possit, & è contra. Vndè Auson. in Bie. sentent.

Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.

Quia prudentis opus? Cùm possit, nolle nocere.

3 *Quamobrem, vt docet Senec. lib. 4. de virtut. Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri; De inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum*

Gg 2

nocen-



nocendi habuit, & cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse; scio enim, magnum, & honestum vindictæ esse genus: Ignoscere. Indè scribit *Terent. in Eunuch. Malo ego nos prospicere, quàm hunc vlcisci, accepta iniuria.* Ira, vindicta, vltio, humani affectus nomina sunt, & nata ex imbecillitate, cadunt solùm in imbecilles, *Lips. ex const. lib. 2. c. 6.* Eapropter, subdit *Euripides* dicens: *Melior est venia, quàm vindicta, illa mitis ingenij est, hæc ferini.* Et quamuis sit verum, testante *Sophocle*, quòd

*Generosa pectora mordent,
Lacerant iniquè obiecta
Crimina. &c.*

4 Nihilominus morsus huiusmodi, vt *Seneca* tradit, nullum sapienti, aut fortè vulnus infligunt: A nullo contemni potest, qui tanta præstat magnitudine, vt sibi ipsi dominetur, ac præsit, *Vgo de S. Victor.* Inhumanum verbum est: Vltio, & à contumelia non differt, nisi ordine. *M. Catonem* in balneo percussum, imprudenti, qui ei satisfacere volebat, refert *Senec. lib. 1. de ira*, ità respondisse: *Non memini, me percussum, meliusque putauit agnoscere, quàm vindicare.*

Et quidem quantò satius est sanari iniuriam, quàm vlcisci? *Senec. loc. cit. fol. 107.* Non ergò vos vendicantes carissimi, præcipit Deus, sed date locum iræ, & mihi vindictam, vt habetur *c. 12. ad Roman. Ezechiel. 9. & Deuteronom. 32.* & ab ipso monemur insupèr, dimitendas esse iniurias, si velimus ab ipso dimitti, vt ha-

betur

betur *Matth. 6.* Quare omnibus, ac cunctis animalibus arma concessit naturalia, vt dentes Canibus, Lupis, & Apris; calces Equis; Tauris, & Arietibus cornua, & alia alijs; sed Homini nulla, nisi rationem dedit natura, qua se defendat, & repellat iniurias, *Xenoph. de Ped. Cyri.* Hocque & etiam videtur in politica ratione fundatum, cum *Taciti* sit dogma *annal. lib. 14.* Optimum insidiarum, quandoque remedium esse, si non intelligantur.

5 Nec magis prædicta conueniunt, quàm Rempublicam, & iustitiam ministrantibus, ex quo nunquàm placet vindicta sui doloris in Imperante, dum etiam si iustior fuerit, videtur acrior, vt aduertit *Antonin.* apud *Vult. Gell.* cum cuncta eorum non ad vltionem sint referenda, sed ad exemplum, *Lips. 4. politic. c. 10.* eritq; Regula hæc, quæ præter notam non transgreditur, nempe vt ad priuatas iniurias sint faciles ad ignoscendum; in ijs verò, quæ Rempublicam offendunt, seueri, vt docet *Aristotil. in Polit.*

6 Hinc est, quòd natura dictante, iracundissimæ, ac pro corporis captura pugnacissimæ sunt Apes, & aculeos relinquunt, at Rex sine aculeo est, *Senec. de clement.* Hæque docent Regentes, quos non decet hostis vlllo modo priuata vindicta. Agunt enim Iudices, alijsque cuncti, qui iustitiam ministrant, publicam causam, quare nil eis peragendum, nisi in publicum bonum. *Vbi est feruida vindicta, inquit Cassiodor., ibi non est temperata iustitia.* Quoniam ea lege in ferendis

pœ-



poenarum iudicijs debent abstringi, vt nullo ducantur odio, nulla ira, nulla vindictæ cupiditate, aliàs

Qui fruitur pœna, ferus est, &c.

vt canit *Claudian. in panegyric. Theodos.*

Ex hoc vno igitur librandum Iudicis consilium, si nempè consulat solo intellectu absq; voluntatis affectu, & est, quod aduertit *Sopater ad Hermet. frat. suum de Republ. administr.* dùm ait: *Præbe te simul clementem, & infensum malis, sed dùm malis indignaris, improbitati, non personæ odium feras.* Gemmæ sunt *Salustij* voces, liquet ex quibus, vacuos esse debere ab odio, atq; misericordia, quos de rebus publicis consultant, & est præceptum politicorum Principis: *Securitati Reipublicæ consulendum; non priuata vindictæ;* quoniam haud prouidet animus verum, vbi obest veritatis velum, quod est quædam offensionis propensio.

Et generalitèr verum est, quòd inquit *Senec.* magnanimum non esse animum, quem incuruat iniuria. Ideòque hoc verissimum est:

Maggior se tu perdoni,

Che se tu vinci, andran le lodi all'etra,

Che non sempre di tuoni

Arma Giove la destra, e à chi l'offende

Con non men bella faccia il Ciel risplende.

MO.

M O N I T V M XLII.

Sine ope non relinquenda miseria.

S V M M A R I V M.

- 1 *Misericordia quid.*
- 2 *Expenditur Plaut. in Trinummo.*
- 3 *Contrarium esse verum, defenditur.*
- 4 *Pœccata eleemosynis redimuntur.*
- 5 *Quid aliud Regentibus conueniat circa misericordiam.*
- 6 *Pauperibus aditus apertus esse debet.*
- 7 *Carmina Ouid. lib. 13. metamorf.*

C A P. XLII.

NVlla, quam ego sciam, videtur magis consonans, ac congrua virtus Christiano Rectori, quàm liberalitas, præsertim in eo, quod tribuit esse præsto ad auxilium in aduersa fortuna, & esse misericordem; quæ quidem misericordia inclinatio animi est ad alienam inopiam subleuandam, *Lips. lib. 1. ex const. c. 1.* siquidem humanitatis officium est, necessitati hominis, & periculo subuenire, *Lactant. inst. Diuin. lib. 6. c. 11.* Imò benefacere mortalem, mortali Diuinum est, hæcque ad gloriam æternam est via. Proindè faciamus, vt monet *Lips. loc. cit.* benigniùs quàm dici-



dicimus, & manum potiùs egeno, aut lapso porrigamus, quàm verba. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor; proindè te diuitem sentiant pauperes, *D. Ciprian. de habit. virgin.*

2 Improbatur, nec receptum est, quod scripsit in *Trinummo Plaut.* de mendico malemeretur, qui ei dat, quod edat, aut quod bibat: nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miseriam.

3 Apage igitur. Siquidem generosi, & magnanimi est iuuare, & prodesse, *Senec. de benefic.* Misericordia sola est, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant, *Cassiod. lib. 1. var.* & nulla de virtutibus ea generosior, vel clementia admirabilior, nec per aliud, inquit *Demosth. in orat. habita coràm Alex.* proprior Deo accedere potest, quàm vt salutem conferas hominibus, vel dando si egerint, vel parcendo si delinquerint, vel indulgendo si supplicauerint. Dei enim est imago homo benefaciens, *Clem. Alexandr. lib. 12. serm.* Arat Cœli campos Misericordia, quæ nisi subuenisset, totum perierat, quod Deus fecerat, *D. Chrysolog. serm. 42.* Illud amplius, inquit *Cassiodor. lib. 1. ep. 16.* nostris utilitatibus applicatur, quod misericordie humanitate concedimus. Misericordia namque speciosum est humanæ naturæ ornamentum, cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Vndè nescire misereri, cum færis est habere commercium, *Idelbert. epist. 23.* Imò is, qui alterius ægritudinem commiseratione non tangit, færa est rationis expers, per-

perperam humani indutus formam, *D. Aster. homil. de diuit. & Lazar.* Quid enim multitudini gratiùs, quàm opem ferre afflictis, & releuare oppressos? & vt dicebat Rex Theodoratus apud *Cassiodor. lib. 19. epist. 14. ad Popul. Roman.* Vbi fama Regnantis fuerit, si vos, quod absit, patiamur imminui? sine ope iam occidunt:

. . . Pallorque, tremorque,
Et ieiuna fames.

Idcirco pauperibus succurrendum, aliàs vt testatur *Pers. in satyr.* Possè tuum nil est, nisi te posse sciat alter. Quod est crudele, nunquàm vtile, *Cicer. de offic. lib. 4. c. 15.* & vbi charitas non est, non potest esse iustitia, *cap. vbi 24. qu. 1.* proindè cum eleemosyna sit ars omnium quætuosissima, *D. Chrysostom. in var. humil.* misericordiam habere hominem, oportet, *Plaut. in mustellar.* nullus namque est cultus Deo gratior, ac misericordia, quandoquidem nec aliud quicquam est, quod Deo magis conueniat: fac ergò calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando, *Themistocl. orat. 16. de human. Theod.*

4 Hocque congruè monet *Daniel. c. 4.* dicens: Peccata tua eleemosynis redime: nam vt habetur *Luc. 11. cap. 41.* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hic fluuius in Cœlum surgit, post non multum tempus inueniens illum, *S. Chrysostom.* quodq; in hoc seruandum aduertit *Senec. de benefic. c. 15.* dùm inquit: Dabo egenis, sed vt ipse non egeam; succurram perituro, sed vt ipse non peream: nam respiciendæ sunt cuiq; fa-

H h

cul-



cultates suæ, & vires. Sicùt ergò docet *Thob. cap. 4.* Quemadmodum potueris, ità esto misericors; si multum tibi fuerit, abundantè tribuas; si secus, quòd possis; etiam haustus aquæ, fatetur Pauper, penès *Ouid. 6. metamorf.*

*Mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse, simul vitam dederitis in undis.*

5 Quæ tamen sunt hætenùs dicta, sunt in vno tantùm misericordiæ ramo, quæ tangit personam, & non officium, cuius munus, vt impleant, debent aliàs releuare oppressos, ac miseros, maximam adhibendo curam, nè potentiores viri humiliores præmant, vt habetur in *text. in l. congruit, §. nè potentiores, ff. de offic. Præsid.* vt enim aduertit & *Vates:*

Indè datæ leges, nè fortior omnia possit.

Debent proindè Iudices, ac Rectores inuigilare pro subditorum quiete, nè angarientur, & contrà lupos, qui possunt eorum deuorare sanguinem, & nè opprimantur, *l. 2. C. de lucr. aduoc. lib. 12.* & latiùs *Ego in tract. de offic. Baron. in exord. nu. 7.* Ac pro iustitia rectè administranda, audire clamores, & quærimonias, præcipuè pauperum, vt docet *Bellug. in specul. Princ. rub. 8. de prosp. Princip. cap. incipit.* Siquidem hoc malum iam dudum humanis influxit mentibus, vt pecunia honori sit, & ideò sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita, *Ecclesiast. c. 9.* ità quòd loquutus est diues, & omnes tacuerunt, sed loquutus est pauper, & dicunt, quis est hic? *Ibid. 13. nu. 28.* & verificatur illud *Ouid. 1. fastor.*

Pau-

Pauper ubique iacet.

Sit ergò, vt monet *Liuius*, facilis indigentibus aditus; & iuxtà præceptum *Agapet. in Paren. ad Iustin.* Aperias aures ijs, qui à paupertate obsidentur, vt inuenias Dei auditum adaperitum. Qui enim aliorum non miseretur, haud miserebitur eius; ad rem *Vates 13. metamorf.*

*Et eget auxilio, qui non tulit? utq; reliquit,
Sic linquendus erit, legem sibi dixerat ipse.*

MONITVM XLIII.

Nil timendum, dum rectè agitur, sola mors indecora metuenda est.

SVMMARIVM.

- 1 Fortitudo quid sit? describitur, & amplectendam suadet.
- 2 Ex causa honesta mori, pulcherrimum est.
- 3 Tyrannorum minæ non mouent iustum à rectitudine.
- 4 Anima robusta facilè contemnet mala.
- 6 Benedicti *Virgilij*, seu *bifulci Poetæ* carmina.
- 6 Vir fortis proposita morte honesta, metu caret, & quare.
- 7 Quid agendum, vt rectè moriatur.



C A P. XLIII.

Alia virtus Christiano Rectori compētens est, constantia, scilicet, & fortitudo, quæ est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia metuere, vel prospera, vel aduersa tolerare, vt ait *Macobrius*. Incredibile dictu est, quātam Reipublicæ perniciem Iudices, & ignaui Rectores attulerint? Longè plura mala à Governatore timido, quàm ab alio quocumque deterrimo: siquidem eius sunt partes, hæcque sunt & Imperatoriæ virtutes, Labor in negotijs, Fortitudo in periculis, Industria in agendo, *Cicer. orat. pro Lel. Manl.* Mortem optare, malum; timere, peius, *Auson. in Periandr. sent.* dùm nil est in rebus humanis, quod terribile sit, nisi terribilium pavor, & leue est omne, quod constantia ferre solet; ita vt sanè, dùm rectè agitur, sint abijcienda fluctuatio, & timor, *Lips. cent. 1. epist. ad Belgic. 38.* & idè, vt monet *Virgil. 6. Æneid.*

Tu ne crede malis. sed contra audientior ito.
quoniam, teste *Senec. in Aiac. ver. 610.*

Non metuit mortem, qui scit contemnere vitam.

2 Hinc est, quòd præstantibus viris ius est inuiolandum, ignobile exitium refugere; sicùt contrà, obuiam ire morti ex honestissima causa aduentanti præclarissimum est, & pulcherrimum. Hominis verè constantis, ac fortis non umbræ aliorum nemorum, non mol-

mollia possunt animum mouere prata: Hoc est, constantem virum, nec rigida mouent verba, nec blanda, sicque foelix, qui teste *Virgil. in 2. Georgic.*

*Metus omnes; & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, &c.*

3 Non enim iustum à rectitudine, Tyrannorum, vel Populi minæ mouere queunt, quod probat *Horat. qui canit od. 3. lib. 3.*

*Iustum tenacem, propositi virum
Non vultus instantis Tyranni,
Nec magna fulminantis manus Iouis
Impavidum ferient ruina.*

Constantia ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, pessuram Anassarcus, mortem ferro adactam Cato vicit interritè; eratque votum Mæcenatis apud *Senecam*:

*Debilem facito manu,
Debilem pede coxa,
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vitam dùm superest, benè est,
Hanc mihi vel acutam,
Si dat sustineo crucem.*

4 Quibus iure subduntur à *Tyrio*: *Fac laborare, torqueri, corrumpi corpus, præsit illi vegeta anima, & robusta, facile contemnet mala, facile malis aliquid maius erit, omnia demùm constantia vincendum.* Vndè hortatur *Lips. ep. 17.* Quidquid Deus ille noster dat, excipe



cipe libenti, imò ac hilari fronte: Viuere te vult? vè-
lis. Mori? non nolit, finis, & initium nostri ab illo
sunt; foelices si in illo. Nec mors mala est forti, sed
eius opinio, nisi mala putetur, tractabilis est, & quæ
miseris est optabilis, fortibus est gloriosè quærenda.
Circà animum fortis tanquàm æneo thoraci, aut ada-
mantino scuto munitum, repulsa, & irrita dederunt
thela: Palmata veste insignis fortunarum Triumphator
insignitur:

*Quisquis composito serenus æuo
Fatum sub pedibus tetrit superbum;
Ac tuto positus loco
Infrà se videat omnia.*

Vndè tutum monitum:

*Tu quod iura petunt, facias, &c.
Nec metuas quemquam quisquis obesse velit.*

§ Et quidem natura non fert, vt præctaris, & splen-
didis negotijs dediti animos pusillos habeant, & abie-
ctos, *Demosthen. in orat. de Repub. orn.* Fortis est terri-
bilia despicerè, & eadem magno perferre animo, *Ari-
stotil. lib. 2. ethic. c. 2.* scit namq; non esse bonum viue-
re, sed vel benè viuere, vel fortitèr mori: adeò quòd
& Vates ille Sangri, quem post fractas aratro glebas
traxit Apollo in Pindum, cecinit in libello trium-
phantis gratiæ ex *Immacul. Virgin. Concept. cant. 5.
stan. 40.*

Ombra di morte la virtù non stima.

Et sanè: nam vir fortis cernitur in pulcherrimo mor-
tis

tis genere, *Aristotil. 3. ethic. c. 6.* & tritum est, ac vul-
gare adagium: *Mori meliùs, quàm fœdari.* Et ideò mor-
tem timeat, qui non sperat viuere post mortem, *Lips.
miscell. 5. epist. 86.* etenim teste Vate:

*Illi mors grauis inurbat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.*

6 Coeterùm vir fortis morte honesta proposita, & ap-
propinquante, metu vacat, *Aristotil. loc. cit.* cum sciat,
quòd in gloriæ mortis discrimina formidanda sunt, &
eiusdem gloriosa pericula interito suscipienda pro-
spectu. Non ergò timendum, nec metuenda mors ip-
sa, dum benè agitur, vt tamen benè agatur, timen-
da mors indecora, dum malè agitur. Qui tamèn vult
exiltimari verè fortis, non ignoret, quòd mediocritas
in metu, & confidentia, fortitudo est, non secùs, *Arist.
2. ethic. c. 8.*

*Ergò mori discas, vt rectè viuere disce;
Vt discas rectè viuere, disce mori.*

7 Rectè tamèn vt viuas, meliùsq; moriaris, Christia-
ne Iudex, ac Reipublicæ Rector: Nil mali facias, nec
mortem timeas, dummodò quid mali non facias.
Quando adsit periculum, vt mali quid facias, supera,
infera: *Respice*, vt monet *Lips. 1. de const. c. 15.* gran-
dia, parua, manufacta, aut mente, ab omni æuo corruunt,
& corruent in omnem æuum. Mādāta Dei serua, cumq;
seruaueris, apage metum, non paueas:

*L'oro della costanza
S'affina à i colpi, e di valor s'auanza.* MO-



M O N I T V M XLIV.

Animus nunquam mœrori committatur, nec vincatur pressura ulla.

S V M M A R I V M:

- 1 *Sapientis est in omnibus se ostendere fortem.*
- 2 *In malo vinci, malum est.*
- 3 *Dolorem non molesta, sed ea moleste ferre parit.*
- 4 *Animus non vincendus pressura.*
- 5 *Tolerantia summa virtutum perfectio est.*
- 6 *Patientia vera, quæ sit.*
- 7 *Carmina referuntur Donnoli in lyricis, fol. 92.*

C A P. XLIV.

1 **C**VM Fortitudo sit virtus, vt suprâ dictum est; è contra procul dubio Pusillanimitas est vitium; quare summa stultitia est mœrore confici, *Tull. 3. qu. Tuscul. dùm Sapiens non frangitur doloribus corporis, nec vexatur incommodis, Lips. in Manud. lib. 3. dissert. 6. cùm constantis sit, non perturbari in arduis, Salgad. in labyr. creditor. in epist. dedicator. Vndè inquit Senec. ep. 41. quòd quemadmodum radij Solis contingunt quidem Terrâ, sed ibi sunt, vndè mittuntur; sic animus magnus, & ager, & in hoc dimissus*

vt

vt proprius quidem Diuina noscens conuersatus quidem nobiscum, sed hæres origini suæ illuc pendet, illuc spectat, ac nititur. Fortis enim non est, qui laborem fugit, sed vbi crescit illi animus ipsa rerum difficultate, *Senec. ibid. epist. 22. vinci namque possunt mala quæcumque. licet sapientes præmant grauissimè; vt Aracnearum casses animalia fortiora prorumpunt; sic fortunæ laqueos mens robusta, Lips. miscell. epist. 59. sanè indè dictū: Fortitudo contemptrix est timendorum, Senec. epist. 89. Adè quòd ait Tragic. in Hercul. furent. Quemcumq; fortem videris, miserum neges: quoniam qui fortitè patitur malū, idest, post patitur bonum, Plaut. in Asinar. Ad rem Lucan. lib. 6. bell. ciuil. dùm canit:*

Fortissimus ille est,

Qui promptus metuenda pati, si cominus instet.

Et differre potest, &c.

2 Et re vera in malis vinci, malum est, *Senec. in Theb. Vndè Sapiens: Nil nobis in vita euenturum graue, & opportunè Senec. Tragic. in Oedip.*

Haud est virile terga fortuna dare.

Valentior enim omni fortuna animus est; malus animus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optimi venerant. Rectus, atque integer, corrigit praua fortunæ, & dura, atque aspera ferendi scientia tollit, idemq; & secunda gratè accipit, modestèq; & aduersa constantè, ac fortitè. Idem *Senec. epist. 89. Ista est virtus, inquit Plaut. in Asinar. qui malum fert fortitè. Vigens est, & sanè constans animus ille, qui nil trepidat. Non*

Ii

con-



contristabit iustum, quicquid ei acciderit, *Sapiens in prouerb. 12.* Morbus impedimentum corporis, non animi est. Ideò canit Vates:

*Mens agro in corpore sana est,
Quæ sapit, &c.*

3 Non molesta, sed ea molestè ferre dolorem parit: Vera bona, quæ animi sunt, nemo potest auferre, mala, quæ torquent, solus animus lenire potest, imò nec præsentire, & teste *Senec. Tragic. in Thobaid.* Non est virtus, timere vitam, sed malis ingentibus obstare, nec se vertere, ac retrodare. Compendio quodam se à labore, & supplicijs liberat, qui facilè tulit. Despectus non est, si despicientiam despicias, (sanè dictum) neque est hominis, malum esse inhonorum, sed inhonestum.

4 Vincat ideò animus, & nullus erit malorum tortor, nulla, quæ ipsum vincat animum præssura, hocque est monitum in *Eccles. 30. c. 21.* *Tristitiam nè des anime tue, & non affligas temetipsum in consilio tuo.* Iucunditas cordis, hæc est vita hominis.

5 Patientia possessori suo mala conuertit in bona, *D. Thom. lib. 2. de erudit. Princip.* & tolerantia est summa virtutum perfectio, *D. Theodor. Studit.* Beneficum nomen est, quod etiam, ægrescente corpore, reliquis omnibus sequentibus præssuris reddit animum à doloribus immunem; imò corpus ipsum sensatione destitutum, verum non quid, sed quemadmodum færas

6 interest, *Senec. lib. de prouer.* Patientia vera est, quæ
&

& ipsum amat, quem portat; alios tolerasse, & odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris, *D. Gregor. humil. 7. & 17. in Ezechiel.* Idcirco:

*Ponamus nimios gemitus fragantior equo,
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.*

Etenim aut nulla est virtus, aut contemnendus est dolor, vt inquit *Tull.* Quicquid fortuna ludat, teste Vate:

*di tutte le ruine
D'ogni fatto più rio non cura oltraggio,
Vna nobil pazienza in cuor ch'è saggio.*

MONITVM XLV.

A benè cæptis resilire, nephas, non secus.

SVMMARIVM.

- 1 Præmium datur perseuerantibus.
- 2 fædum, ac turpe à benè cæptis recedere.
- 3 Vile est consilium, cui robur fortitudinis deest.
- 4 Perseuerantia laudatur, non pertinacia, & explicatur.
- 5 Cum stabilitas sit in malo recedendum est.
- 6 Carmina Donnoli in Lyricis contra pertinaces.

C A P. XLV.

I Nconstantis est à benè cæptis resilire, hocque sub vitio est. Vndè & alteram hanc tribuo Christiano



Iudici necessariam esse virtutem: animi nempe præstantiam, siquidem nulla est operum corona, nullus coeptorum fructus, si à benè coeptis retro feratur pes, dogmate illo attento, vt inchoantibus promittatur præmium, sed perseuerantibus detur. Quarè vilescit Rector, qui vacillat, fœdaque inconstantia, quæ iusserat, vetat, & quæ vetuerat, iubet. *Tacit. 3. histor.* Ac infelicitèr operam locat in virtutem, qui præseruare prætermittit, ex *Seneca*: Nàm vt columna, quæ recta stat, imposito magis pondere firmatur; sic altas, rectæque mentes, oportet, non cedere oneri, sed obniti, *Lips. in lib. de cruce, in præf.* Non est bonum, si bono firmitatem demas; sicut si Terræ immobilitatem, Soli motum, cursumque si tollas, essentiam tollis vtriusque: Maximum enim inditium est malæ mentis fluctuatio, ex *Florib. Lips. fol. 59.* sicut è contra, Partæ virtutis est inditium in voluntate concepta perstare, nec omni vento circumferri, & rapi, quia est certum, quòd sola perseuerantia accipit prauium.

2 Et quidè m fœdum, ac turpe est, à benè coeptis recedere, vt notat *Titius in elog.* quod præcipuum est Rectoribus, quorum diminutio Maiestatis est fecisse mutanda, *Senec. epist. 16.* Et ideò quando iure quid factum est, perseuerandum in facto, aliàs frequens, ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum, vt scribit *Valer. Paterculus.*

3 Quinimò vile est consilium, cui robur fortitudinis deest, *D. Gregor. lib. 1. moral. c. 32.* sicque eos tantum appro-

approbandos, qui constantèr consulere, & constantèr agere solent, vt ait *Epictetus.* Vndè voluit Cato Romanus, potius publicè contemni, ac trudi in carceres, quàm mutare sententiam, cum maximo de incommodo ageretur Reipublicæ. Et par exemplum est in *Mello Censore*, qui cum aduerteret, quò tenderent *Saturnini Tribunis Plebis* funesti Conatus, quantoque malo essent erupturi Reipublicæ, nisi occurreretur, in exilium, quàm in legem eius ire maluit, & nè à sua sententia pelleretur, Patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit, vt doceant Rectores, ac Iudices, in eorum consilio debere esse constantes, *Simanc. de Republ. lib. 5. cap. 7.* si tamen fuerit deliberatum tardè, vt *Isocrat.* inquit *serm. admon. ad Demonic.* cunctantèr enim aggrediendum est negotium; at in suscepto constantèr perseuerandum, vt *Bias Philosophus* docebat, ex *Diogen. Laert.* Vndè sapientissimè *Plautus in Rudent.* dùm inquit: *Moneo ego vos, hac qui estis boni, mens immota maneat,* vt dici posset cum *Vate epist. 15. Parid. ad Helenam.*

Permanet in voto mens mea firma suo.

& aliàs, cum *eod. 8. metamorfos.*

Nec tedia cæpti

Vlla mei capiam, dùm spiritus iste manebit.

4 At perseuerantia, quæ est sub virtute laudatur; secùs pertinacia, quæ est sub vitio. Et ideò aduertèdum, quòd, qui præstat in eo, in quo manere oportet, perseuerans dicitur, hocque cum tutum, sanè canit *Vates idem 1. de Tristib.*

Quo



Quo benè cœpisti, sic benè semper eas.

5 Qui verò pertendit in re aliqua, in qua non debet pertendere, dicitur pertinax, ex *Thesaur. Aristotel. in ver. Venus, fol. 295*. Hocque pudendum, cum stabilitas sit in malo. Idcirco caue, dum omni modo, & semper euitare debemus, & cum nimia sit humana fragilitas, si quid mali incurrat, statim pœniteat, quem enim pœnitet peccasse, pœnæ est innocens, *Senec. in Agamenn.* & optima sapientia quippè est, citò resiliire à malo, aliàs, testante Vate:

*Danno sol si riceue
Dall'ostinazione, & in ogn'opra,
Chi disperato hà il fine, in van s'adopra.*

MONITVM XLVI.

Ob consulta mala respondentia non frangendus animus.

SVMMARIVM.

- 1 *Praua consilia bonum quandoque habent exitum, & quare.*
- 2 *Vera affertur ratio.*
- 3 *Carmina expenduntur Andr. Vettorelli.*
- 4 *Iudicia Dei occulta, & proinde non scrutanda.*
- 5 *Permissione Dei eueniunt, quæ præter culpã contingunt.*
- 6 *Confirmandus homo cum voluntate Dei.*

CAP.

C A P. XLVI.

1 **N**onnullorum consilijs adeò propitij sunt Superi, vt omnia etiam dormientibus iubeant euenire foelicitè, ac trahantur in virtutem, etiam non benè consulentia. Aliorum verò sunt consilia, quibus quasi Hercules Sydere natis in contrarium omnia cedant. Hocque euenire, & praua scèpè magis consilia esse prospera, quàm bona, inquit *Salustius ad Cæsarem*, quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat. Imò centum doctuum hominum consilia sola, illa deuincit Dea, vt scripsit *Plaut. in Pseudul.* Ideòque non pugnandum cum ea, sed ardua, atque illa amplexa consilia, quibus impar est, fato permittat, *Tacit. annal.* est vulgatum dogma.

2 Veriùs tamen dicendum est, quòd sic fortes, & inuictos solet animos experiri Deus. Falsum enim oraculum est, impièque dictum: *Nil curare Deum, nec sui, nec alienum*, *Cicer. de legib. lib. 1. fol. 336*. Scit enim Coelestis Medicus, quod nobis daturus sit, & quid subtracturus ad emendationem? ex *D. Augustino*, inde Deus dat, quos iubet exitus, rebus, rerumque consilijs, & vt ait *Neptolomeus apud Sophoclem*, scèpissimè fit Diuini Moderatoris afflatu:

Consilia vt habeant optima exitum malis.

3 Et totum vtiquè optima mente gerit, optimoque consilio, vt aduertit *Epiçtetus*: siquidem quod per se
pe



pe videtur nobis malum esse; nobis ipsis, & auctori Deo est melius. Ad rem materna lingua non vulgaris Vates:

*Mà poiche il vero à contemplar m'interno,
Ne à la scorza di fuori arresto i lumi,
Quel che pria parue crudeltà de Numi,
Tutta Diuina alta giustitia io scerno.*

4 Sunt enim iudicia Dei occulta hominibus, *Caball. de homicid. num. 151.* & quomodocumque se recondita Dei iudicia habeant, non culpanda ea nobis, sed ferenda, & verenda, *Lips. ex const. lib. 2. c. 17.* Ut ij, qui in Solem acrius defigunt oculos, eos amittunt; sic mentis omne lumen, qui eam intendunt in arcana Dei, *ibid. c. 17.* Deus scit, quæ nobis potissimum conueniant, inde petenda est ubique voluntas Dei; non penitus extrà rem, quæ tradit *Iuuenalis satyr. 10. ibi canens:*

*Nil ergò optabunt homines? si consilium vis
Permittet ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sic utile nostris,
Nàm pro iucundis aptissima quæque dabunt Dij.
Carior est illis homo, quàm sibi, nos animorum
Impulsu, & cæca, magna que cupidine ducti
Coniugium petimus, partumque uxoris. At illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.*

5 Cùm ergò verum, voluntate, seu permissione Dei eueniri censerit, quæ præter culpam, & intentionem contingunt, *Caball. loc. cit. num. 150.* sustinendum est

est æquo animo, quando aliorum vertantur consulta, quæ diu præcogitata sunt. Deus enim, ut est arbiter temporum, non autem Sol; sic & ille, non Consultor habet in potestate rerum euentum, *Moron. in Aula Davidic. c. 49. in fin.*

6 Oportet ideò, seipsum ita conformare, ut Deo pareamus. Acquiescamus proinde in omnibus, quæ eueniunt, & volentes sequi, ut quæ ab optima mente fiant, & proficiantur, *Lips. lib. 3. manud. c. 16.* Optimum erit pati, quod emendare non possit, & Deum, quo authore cuncta eueniunt, sine murmure comitari, *Senec. epist. 108.* haud ei possumus resistere voluntati, *Genes. c. 1.* Veh illi, qui contradicit Factori suo, *Isai. 49.* Qui salutem suam Deo committunt, præter opinionem, & medijs emergunt periculis, *Ioseph. Hebraeus de antiq. lib. 2. c. 6.* Hæc summa, vel summa potius sapientia: Deo obsequi, *Lips. cent. 3. epist. 51. ad Belgic.* Certo namque certius est, quòd rerum humanarum nil potest agi, sine Diuino Numine, & haud potest culpari aliquod malum, aut acerbum in eo, & ab eo, qui bonitas, & benignitas totus, *idem centur. 1. epist. 61.* Infultissimos, ac infœlicissimos utique esse, aio, plebeios illos, qui Soli, quòd fruges, vel ad maturitatem non perduxerit, vel certè perusserit, indignantur, *Moron. loc. cit. circ. fin.* Quapropter ob consulta malè respondentia non frangendus animus. Quod Deus vult, velimus; quò ducit, eamus, *Lips. ibid. cent. 3. epist. 51.* Omnia ipse facit, vel fieri permittit, *Glos. in clement.*



in proem. verb. Permittente. Et ita versum est illud Tragicum Seneca in elegiac. disticon à Cyriaco Lentulo.
Quicquid agunt homines, quicquid potiuntur, ab alto
Manat. Hic est omnis fons, & origo boni.

M O N I T V M XLVII.

Fausta insuper, & aduersa aqua lance libranda.

S V M M A R I V M.

- 1 *Rami fortitudinis patientia, & tolerantia.*
- 2 *Immoderatè ferre secundas, & aduersas, leuitas est.*
- 3 *Sapientes, qui existimandi?*
- 4 *Dictum ad rem Seneca refertur.*
- 5 *Qui suffert aduersa quodammodo beatus dicitur.*
- 6 *Laudandus Deus in letitia, & tribulatione.*
- 7 *In cunctis aqua lance aduersa libranda.*
- 8 *Quare quis quandoque tribuletur.*
- 9 *Tristia miscentur Letis, & quare.*
- 10 *Pallas quare orta dicitur armata.*

C A P. XLVII.

1 **F**ortitudinis, patientia, perpassio, & tolerantia, rami sunt, *Senec. epist. 68.* diciturque patiens is, aduersa qui sustinet æquanimiter; vnde *Tragic. in Hercul. Oeteo:*

Pa-

Patiens quis quis vouit famulum,
Regemque pati, pepulit vires,
Vultusque suos variare potest,
Pondusque malum casu animo,
Qui tulit equo.

1 **Q**uamobrem, vt aduersas, sic immoderatè ferre res secundas, leuitatis est: præclaraque est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eodemque frons, *Cicer. 2. de offic.* Nullum namque firmitus, siue faustis, siue aduersis exundantibus repagulum constituitur in hominis vitæ decursu, quàm æquanimitas, vt inquit *Metrodorus*, siquidem quod fors feret, æquo animo ferre, viri est officium, *Therent. in Phorm.* Vnde monet *Orat. od. 3. lib. 2.*

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam letitiam
Morituræ Deli.

3 **S**apientes existima, scribit *Isocrat. ad Niclot.* non qui vitæ mutationibus perturbantur; sed qui pulchrè, & moderatè ferre tam secundas, quàm aduersas res, didicerunt. De Carattaneo inter Britanorum Imperatore, refert *Tacit. 12. histor.* quòd multa ambigua, & multa prospera extollerunt, vt ceteros Britannorum Imperatores præmineret. Et quis ignorat, eandem esse virtutem, fœlicitates, & infortunia vincere? Æquè difficile est, & in rerum difficultatibus animum indepressum conseruare, & rebus prosperis ad iniurias, ac

Kk 2

con-



contumelias inferendas non extolli, vt ait *D. Basil. homil. 1.* Res secundæ valent commutare naturam, *Tacit. 1. histor.* adeò quòd difficiliùs inuenitur, qui secundam fortunam benè ferat, quàm qui aduersam, vt habetur apud *Stobæum serm. 20.* Ex quo pauci sunt, quos ea non mutat, *Tacit. 3. histor.*

4 Propterea inquit sapientissimè *Seneca epist. 111.* Si sapias, omnia humana conditione metire simul, & quod gaudes, & quod times, contrahe. Et *Plutarch. de educat. puer.* Quod summum est, neq; rebus secundis efferamur gaudio, neque aduersis nimio luctu deijciamur. Prosperitate namque extollendum non est, neque aduersitate desperandum, & iuxtà illud *Senec. in Thieste:*

*Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis,
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.*

5 Qui aduersa æquanimitèr suffert, beatus dicitur à *Terent. in Phorm.* hisce verbis: *Beatus es, ni unum desit, animus, idest qui modeste ferat.* Et monet quoque *Auson. in Periandr. sent.* Si fortuna iuuat, caueo illi. Si fortuna tonat, caueo mergi: etenim, vt aduertit *Terent. loc. cit.* Omnes cum secundæ res sint, tum maximè medicari secum oportet, quo pacto aduersam erumnam ferant, pericla, damna, & exilia. Firmitatem perpetuò pollicere in fluctuantibus rebus, desipientis est; sicut insipientiæ cumulus est irritò conatu abeuntem cohibere

ven-

ventum. Hinc lagrimæ infantium testes sunt nostræ miseræ, *D. Augustin. in serm. Natal.* Quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum præpositum; tot passibus propinquamus, præsentem vitam quasi viam subingendo transimus, *D. Gregor. in moralib.* Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius, mors medium esse putetur, non pœna, *D. Ambros. serm. de 40.* Flens animal cœteris imperaturum, & à supplicijs vitam auspicatur, vnâ ob tantum culpam, quia natum est, *Plin. histor. natural. lib. 7.* Quid ergò faulta? quid ergò aduersa? prospera, vt docet *D. Chrysostr. temperantur aduersis:*

Semperque vicissim

Gaudia permissi cumulant inopina dolores.

Ità comparatum est in ætate hominum; ità Dijs placitum, voluptati nempe vt mæror consequatur, *Plaut. in Amphitr. & teste Vate metamorf. 7.*

Gaudia principium nostri sunt sæpè doloris.

Verùm

*Nil adeò fortuna grauis miserabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parce malum,
Nulla dies adeò est australibus humida nimbis,
Non int. rmissis vt fluat imber aquis.*

Et vt inquit idem *Vates 3. de Pont. & 2. de Trist.*
*Crede mihi, miseris Cœlestia Numina parcunt,
Nec semper lesos, & sine fine premunt. &c.
Sed solet interdum fieri placabile Numen,
Nube solet pulsa candidus ire dies.*

Siqui-



Siquidem teste eod. 7. metamorf.

Flebile principium melior fortuna sequuta est.

cum re vera, vt canit Prudentius:

Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletus.

Vndè vulgò:

Varia sempre la sorte;

Speri il cor, goda l'alma;

Alle tempeste in sen nasce la calma.

6 Siue ergò tribulemur, docet D. August. psalm. 54. siue lætemur, & exulemus, ille laudandus est, qui in tribulationibus erudit, & in lætitia cōsolatur. Ad hoc Sacramentum aducti sumus ferre mortalia, nec perturbari his, quæ euitare non est nostræ potestatis, Senec. epist. lib. 3. Deus enim omnia facit, vel fieri permittit, glos. in clem. in proœm. ver. permittente; & idè omnia amara, & graua patientèr færenda sunt, Lactant. Firmian. Diuin. inst. lib. 7. ex quo Deus ipse in hac vita electis suis nō permittit gaudia delectationis; sed amaritudines tribulationis; vt tamen medicinæ amaræ per amarum poculum ad dulcedinem redeant æternæ salutis, D. Gregor. in registr. Vndè & ad rem Vates:

Exiguo percussa es fulminis ic̄tu,

Fortior vt possis cladibus esse tuis.

7 Sunt igitur fausta, & aduersa, æqua lance librandæ, & in honoribus, dignitatibus, alijsque fœlicitatibus, & faustis imitandus est Piso, penès quem, dùm fuit ad Imperium assumptus, nullum fuit alterationis signū. Vndè Tacit. 1. histor. Pisonem, ferunt, statim intuentibus,

bus, & mox collectis in eum omnium oculis, nullum turbati, aut exulantis animi motū prodidisse. Ac imitandus inuictissimus ille Agrippinus, quem tradit Epictetus, talem fuisse virum, vt eius, quod illi accideret mali scriberet encomium. Quod si forsàn durum hoc posse fieri videatur, ille saltè imitetur, de quo scriptum est:

Nec tamen hic mutata quies, probitasq; secundis.

Intumuit, tener idem animus, moresq; modesti

Fortuna crescente manent, &c.

Nàm semper experimento olim visum, prout ac videtur in dies, quòd etiam insolitum fortunæ flustrum suspectum est, ità quòd fortunæ etiam oscula, velut thela feriunt, & in humanitatem grassantur; sicque non fidendum, non temerè, ac superbè acceptandum fortunæ beneficium munus; nec è contra in aduersis desperandum: cum quandoque tribuletur homo, vt magis fortis reddatur: *Vasa enim figuli probat fornax,* & *homines iustos tentatio tribulationis, Ecclesiast. c. 27.*

9 Hæc Christiani Rectoris animus cogitet, nè fortunæ flectatur arbitrio, nullis cedat, omnia vincat, ac inter fausta, & aduersa sit semper idem. *Nascitur enim ad labores Homo, & Avis ad volatum, Iob. 5. c. 7.* *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, Ecclesiast. 40.* Proindè, inquit opportunè Plin. in Troian. Panegyric. Maris, Cœlique temperiem turbines, tempestatesque commendant. Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa se-

cun-



cundis, & aduersis secunda nascantur. Occultat viro-
rumq; semina Deus, nec plerumque bonorum, & ma-
lorum causæ sub diuersa specie latent. Imò, & fletur
eisdem oculis, quibus amatur, vt obseruat *Calphurnius*
Flacc. contr. 16. contra Homuncionitat. & teste Vate:
Miscentur tristia letis.

10 Sapiens tamen erit, in aduersis non frangi, dici-
turque orta Pallas armata, eo quòd nunquam inermis
est Sapiens animus ad euentus fortunæ, vel consilio,
vel patientia superandos; & re vera,

*Non flet in aduersis, nec prosperitate tumescit,
Vir sapiens, æquè damna, lucrumque gerit,*

Congruum ergò dogma:

Non leta extollant animos, non tristia frangant.

Siquidem extrà nugas, quod fertur, & vulgò:

Dopò mille pene,

Da radice del mal germoglia il bene.

M O N I T V M XLVIII.

*Suauitate fouenda obedientia; undè sit morum grauitas,
non asperitas, non superbia.*

S V M M A R I V M.

- 1 *Reipublicæ commoda suauitate parantur.*
- 2 *Saluum Reipublicæ Rectorem clementia præstabit.*
- 3 *Ratio affertur.*

4 *Mo*

Monita aliorum ad rem expenduntur.

Grauitas laudatur in Rectore, non asperitas.

6 *Temperanda grauitas, & quomodo.*

7 *Carmina Olympij Nemesiani.*

C A P. XLVIII.

1 **N** Il tam deforme, quàm adiungere Imperio na-
turæ acerbitatem, *Tull. in epist. ad Q. fratrem.*
Et idè instruendi sunt, qui Rempublicam regunt,
cæterique, qui alijs præsumunt, symbolo, quo Apis è ver-
tice Regnantis egressa, atque euolans in sublime edo-
cuit, suauitate meliùs Reipublicæ commoda parari,
quàm sæuitia, & asperitate. Hocque & Vteres tradide-
re Philosophi fingentes, lapides fuisse sequutos Am-
phionis citharam, quibus fuere constructa mœnia
Thebarum, & lyra sua færas traxisse Orphæum, de
quo *Horat.*

*Siluester homines sacer, interpretque Deorum
Cadibus, & victu fædo deterruit Orphæus
Dictus ad hoc lenire Tigres, rapidosq; Leones,
Dictus & Amphion Thebeæ conditor Urbis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet, &c.*

2 Etenim, non opus est instruere in altum editas Ar-
ces, nec in adfensum arduos emunire colles, nec late-
ra montium, multiplicibus se muris, turribusque scæ-
pire, saluum Rectorem in aperto clementia præsta-
bit,

LI



bit, *Senec. lib. de clement.* Hæc in quamcumq; domum peruenerit, eam foelicem, tranquillamque præstat; licet in Regia, quò mirabilior, eò præstantior, *Senec. ibidem.* Malè, terrore, veneratio acquiritur, longèque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor, *Plin. lib. 8. epist.* Adeò quòd expertum traditur, humanitatis dulcedinem, etiam Barbarorum penetrare ingenia, *Valer. Maxim. lib. 5. cap. 5.* Vndè *Claud. de 4. Honor. Cons.*

*Non sic excubiæ, nec circumstantia thela,
Quàm tutatur amor.*

3 Qui ergò vult amari, languida regat manu, *Senec. in Thyest.* placent enim illi, qui specie obsequij regunt, ad omniaque agenda, quæ sunt quieta, cum industria agunt, *Tacit. 3. histor.* Talis Cornelianus Piso nullius seruilis sententiæ spontè auctor, & quoties necessitas ingrueret, prudenter moderant, vt refert ipse *Tacit. 6. annal.* Etiam Germanicus, vt Legiones Imperio reluctantes in officio contineret, circumire solebat, blanda vultus serenitate: Siquidem metus, & terror infirma vincula charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipiant, *Tacit. in Agricol.* & prout inquit *Senec. loc. cit. lib. 1. fol. 379.* Assiduus, & acer metus, & extrema admonens in audaciam latentes, & excitat, & omnia experiri suadet, sanè dictum: *Comitate, & suauitate morum omnes facillè adamantinis vinculis obligabis. Nicephor. Gregora histor. lib. 6.*

Asperitas odium, seuque bella mouet.

Et

Et certè quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? *Senec. de benef. lib. 2. fol. 488.* O stultissimum malum! (subdit de superbia *ibid. c. 13*) Semper vtique profit Humanitas, *Senec. epist. 115.* Amari, coli, diligi, maius imperio est, *Simanch. in relat. ad Imperator.*

4 Lenitatem ergò promant Iudices, Officiales, cœterique cuncti, qui Rempubicam gerunt, in seipsis primum, verbis, factisque benigni, comitate, & alloquijs officia prouocantes, *Tacit. 5. histor.* Viuantque cum Ciuibus, quasi parentes cum liberis, *Plin. in panegyric.* Non minus se homines, quàm hominibus se esse cogitent, *Plin. loc. cit.* Sitque eis in corde præceptum, quod habetur *Ecclesiastic. cap. 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Etiam *Taciti* est testatum *15. annal.* Neque summis mortalium asperendam, à Dijsq; admodum æstimari modestiæ firmam.

5 Sit propterea non superbia, non asperitas, sed morum grauitas. Vnusquisque superbus Rector toties ad Apostasiæ culpam dilabitur, quoties omnibus præse delectatus honoris singularitate lætatur, *S. Gregor. lib. 24. in Iob. c. 14.* & vt plurimum sunt coniuncta superbiæ insolentia, iactantia, contemptus, & alia vitia, Deo, & hominibus exosa, nilque læthalius Reipublicæ contingere potest Regentium superbia, atque animi elatione. Esse enim superbos, & etiam domorum euersores, quippè qui facillè irritentur, & irritent, infi-

LI 2

cia-



ciabitur nemo, *Meron. in Aula Davidic. cap. 65.*

Cùm ergò quævis publica persona palàm debeat, ac publicè sui copiam facere, *Mastrill. de Magistr. lib. 2. cap. 4. num. 14.* maturitas erit seruanda, haudque quotidie se immiscere iocosis conuersationibus, publicisque spectaculis, *Marta de Tribunalib. cap. 6. nu. 20.* nec passim debent Iudices, Reipublicæque Rectores per vicos, & plateas deambulare, *l. obseruand. ff. de offic. Pres.* Continuus enim aspectus minus verendos homines ipsa satietate facit, *Liui. lib. 35.* Et Maiestati maior ex longinquo reuerentia, *Tacit. 1. annal.* Comendat ideò S. *Ambrosius* in homine motum ex modestiæ præscripto compositum, in quo sit absq; fudo authoritatis species, grauitatis pondus, & tranquillitatis vestigium. Peiora tamen semper erunt immodestiæ probra. Incompositum corpus index est mentis incompositæ, vitijque deprauatæ: nec negari quidem poterit, quòd animus per corporis notas erit inapertum; quare, inquit *Senec.* impudicum incestus ostendit; improbum risus, insanum vultus, habitusque demonstrant; contrà verò vultus benè compositus spectantibus prodest, & ipsi viro benè composito.

6 Morum ergò grauitas est ità temperanda, vt tristitiam, & arrogantiam, bone Rector, exuas, vt *Tacit.* inquit *in Agricol.* Non alia facies, quàm sereni Coeli, ac nitentis, *Senec. de ira, lib. 2.* nunquàm tamen amoto eiusdem *Taciti* præcepto; vt incorrupto Ducis honore, vt *ibid. 5. histor.* Comitas facile fastum atterit, &

in

in familiari consuetudine egrè sustineas illud opinionis de te augustum, *Plutarch. in Pericl.* Temperie proindè opus; nè aut reuerentiam subditorum terrore, aut amorem humilitate captent. Maior Vespasiani fama erat, testatur *ibid. Tacit.* ipsius Titi ingenium quætæcumque fortunæ capax: decor oris cum Maiestate quadam: hoeque congruè monitum: *Secede interdum, vt vitato assiduitatis fastidio authoritatem absèntia tueare, Sueton. Tib. cap. 10.* Cùm apparere contingat, graui, & ad seueritatem flexo; non tamèn ad minas; & apparere non acerbum, sed augustum, vt qui obuij fiunt, non metuant te, sed magis venerentur, *Aristotil. lib. 5. politic.*

7 Ad laborandum tamèn est, nè modestia in extima tantum specie hæreat, intime verò tanquàm honestatis cadauer sordescat animus. Imò, vt scribit *Philo Iudæus lib. 1. leg. allegor.* neque prudentia erit solùm verbis sapere, sed opere spectatum esse, actionibus ad virtutem compositis. Vndè *Vates egl. 1.*

*Blanda tibi vultu grauitas, & mite serena
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.*

M O N I T V M XLIX.

Iustitiæ rigor clementia, & equitate temperandus.

S V M M A R I V M.

1 *Iustitia non consistit in mero iuris rigore.*

2 *Qua-*



- 2 Quare cum statera fingatur? refertur.
- 3 In Iudicibus esse debet misericordia.
- 4 In ambiguis causas temperare debent.
- 5 Misericordia, & iudicio firmantur Imperia.
- 6 Pœnæ quare adhibeantur? & quomodo adhibendæ?
- 7 Regentes debent temperare iustitiam cū misericordia.
- 8 Prædicta declarantur, quomodo locum habeant.
- 9 Generalitèr procedendum in humaniorem partem.
- 10 Regentes non pœnis, sed pœnitentia consenti esse debent.

C A P. XLIX.

Clementiam, vt celebrem non tantum, sed vt ad eandem virtutem imitandam inducam Christianum Iudicem, & Reipublicæ Rectorem, denuò totum me confero.

- 1 Aduertendum est ideò, quòd iustitia non consistit in mero iuris rigore, vt insipidè putauerunt aliqui, ponendo iustitiam pro seueritate, *DD. in l. placuit, C. de iud.* sed debet esse coniuncta cum clementia; aliàs summum ius, summa iniustitia est. Fingitur proindè
- 2 Iustitia cum statera: quoniam pendere non debet, nec in rigore, nec in pietate, & est quod præcipitur in *Eccl. ibi. Qui iudicat, stateram in manu portet, utroque penso, iustitiam, & misericordiam.* Deus enim gubernat consilia eorum, qui clementem, & humaniorem dicunt sententiam, *Reg. Valenzuol. cons. 164. nu. 70.*

3 de-

- 3 debetque in Iudicibus adesse, quæ iustè consulit misericordia, *cap. disciplina 45. distinct.* Boni namq; Iudicis est, non tam delicta velle punire, quàm tollere, nè aut acritèr vindicando æstimetur nimius; aut leuiter agendo putetur improuidus, vt aduertit *Cassiodor. lib. 12. epist. 16.* Vndè dogma: vt fulmina paucorum periculo cadunt omnium motu, sic animaduersiones terreant satius, quàm noceant, *Senec. lib. 1. de clem.* quod etiam dispositum videtur in *cap. ponderet, 50. distinct.* dùm pœnæ sunt restringendæ, *l. si sine. ff. de in ius vocand.* Etenim teste Vate:

*Pœnis hominum, vel sanguine pasci
Turpe.*

- 4 Et ideò in ambiguis, atque legum diuersis interpretationibus titubantes, causas debent benignè, atque naturalis iuris moderamine temperare, vt præcipit *Imperator in l. non sine, C. de bon. quæ lib.* & illam amplecti opinionem, quæ magis humanitati innititur, iuri communi plus cohæret, ac plus est fauorabilis miserabilibus personis, *Gizzarell. decis. 44. nu. 34.*
- 5 Non enim est à veritate longeuum, quòd misericordia, & iudicio, hoc est, à clementia, sanè ornantur, ac firmantur Imperia, *Meron. in Aul. David. c. 2.* Vndè *Hyeremias ait c. 10. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, nè forte ad nihilum redigas me, & aliàs c. 30. Te autem non faciam in consumationem, sed castigabo te in iudicio,* hoc est clementèr, vt explicat *Meron. loc. cit.* Qui enim peccant, ij aut punien-



niendi sunt, vt emendentur; aut, vt ipsorum exemplo cœteri à similibus peccatis deterreantur; aut, vt sublatis facinorosis, publicæ consulatur utilitati, & vt ait *Senec. de ira, c. 16.*

6 Pœnæ adhibentur, vt his tollantur mali, si voluerint esse nocentes, aut emendentur, si per negligentiam aliquid admiserint, & alibi *cap. 15.* Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed nè peccetur: reuocari namque præterita non possunt, futura prohibentur, & quos volet nequitiae malè cedentis exempla fieri, palàm occidet, non vt pereant tantùm ipsi, sed vt alios, pereundo, deterreant.

7 Et ideò, etiam in grauioribus sæueritatem legum cù aliquo benignitatis temperamento subsequi debent, qui regunt, *tex. in l. respiciendum, & l. hodie, ff. de pignor.* maximè vbi habent arbitrium, siquidem si tenentur Iudex etiam in pœnis legalibus infligendis dispensare interdum, & misericordiae gratiam impendere, *Grammat. decis. 5. nu. 31. & 34.* tanto magis vbi pœnæ infligendæ ab eorum dependent arbitrio, vt latiùs dixi in *tract. de Offic. Baron. cap. 221. nu. 9.* aliàs nimis inhumana iustitia est fragilitati hominum non ignoscens, vt docet *S. Hieronym.*

8 At non sic indistinctè supradicta procedunt, vbi agatur de delicto atroci, & enormi; sed benè debent vti iustitia, & clementia secundùm accidentia facti, & qualitates personarum, ità vt in atrocioribus grauiori manu procedant; nec in solitis delinquere, debet Superior

perior esse misericors, *tex. in cap. 23. quest. 5. & §. sint. cap. 1.* non sic castigabitur delinquens ex dolo, sicut ex culpa, *l. respiciendum, §. delinquentes, ff. de pœn.* In dubijs exercenda est æquitas: equiùs enim est hominum hominibus propositum ex. ere imperium, *Senec. ibid. lib. 1. num. 38. de clem.* adeò quòd communitè receptum est, vt in dubijs meliùs absoluator reus, quàm condemnatur innocens, *Nouar. lib. 2. grau. 158.* cauendum namque est, nè respectu nocentis patiatur innocens, *l. absentem, ff. de pœn. Ricc. coll. decis. 2810.*

9 Et generalitèr procedendum semper in humaniorem partem, *Reg. de Pont. in tract. de potest. Proreg. tit. de prou. fier. sol. in princ. num. 32.* Hocque voluit innuere Deus in arca Tabernaculi, vbi cum tabulis legis asseruabatur Virga simul, & Manna, quia boni in Iudicis pectore virga districtiois, & manna dulcedinis esse debet, vt habetur in *cap. disciplina, 45. distinct.* Vnde *Dauid psalm. 22. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt:* virga namque percutit, & baculus sustentat. Quare docet *D. Gregor. lib. 20. moral. par. 4. c. 11.* vnde sumptum est dictum *cap. disciplina;* quòd esse debet districtio iustitiæ, quæ feriat, & consolatio baculi, quæ sustentet, *arg. tex. in cap. ex parte, de censib. cap. 1. de offic. custod. l. si seruus, ff. de pignor. act. cap. alligant autem, 26. q. 7.* vbi *Glos. in verb. meliùs, & l. placuit, C. de iudic.*

10 Hoc ergò sanè monitum iustitiam Ministrantibus: *Paruis peccatis, veniam. Magnis sæueritatem commo-*

M m

dare,



dare, & ità, testante Tacit. in vita Agricol. non semper pœna, sed sæpiùs pœnitentia contentos esse, Scoppa in Menex. de Repub. §. 1. sub nu. 4. Clementia enim Regia virtus est, ad quam, Regia voce, Rex monet & Reges, Suard. apud Crassum, ità dicens:

*Più che d'oro, d'Amor brami tributo;
Poiche d'amor fondato in sù le basi
Regno non mai si rimirò caduto.*

MONITVM L.

Impediendus est omninò authoritatis contemptus.

SVMMARIVM.

- 1 *Componere mores, maximum est opus.*
- 2 *Propter humilitatem, turpe si frangatur authoritas.*
- 3 *Imperantes contemni non debet.*
- 4 *Qui Imperantes non veneratur, de Iure punitur.*
- 5 *Rektor dùm contemnitur, quilibet facit, quod vult.*
- 6 *Reuerentia cunctis debetur.*
- 7 *Authoritas quare vt plurimum contemnat.*
- 8 *Rektor quomodò se gerere debeat.*
- 9 *Culpa est relaxare vindictam, & quando.*
- 10 *Magnis peccatis seueritatem commodare, est Tacit. dogma.*
- 11 *Carmina Iosephi Baptista.*

CAP.

C A P. L.

1 **D**iximus supra, fouendam obedientiam suauitate, cùm asperitas sit sub vitio; & Dogma à veritate non distat, cùm benè componere mores, maximum sit opus hominum, iuxtà illud Ouidij 3. de arte.

Maius opus mores composuisse suos.

2 Aduertendum tamen est, quòd nè, dùm nimium seruetur humilitas, regendi frangatur authoritas, vt docet S. Augustin. de vita Clericor. vbi reuerentia excessit animis, summa imis confundimus, Alex. apud Quint. Curt. Et ideò Rectores, & Iudices, licèt euitare debeant superbiam, & austeritatem; non tamen debent cum subditis nimia familiaritate coniungi, neque cuicumque placidum ostendere vultum, ità vt pateant omnibus ianuæ remota reuerentia, & quod ex nimia manat familiaritate, habeant pro ludibrio; in Recto-ribus namque authoritas quæritur, Cicer. qq. thopic. Et debent Superiores omnes suum custodire decus, vt in cap. Reg. Ioann. adeò quòd colere officijs, non exasperare iurgijs, potestatem oportet, Ioseph. de bell. Iudaic. cap. 16.

3 Sempiterna lege naturæ, tradit, esse receptum, Dionis. Elicarnass. lib. 1. histor. inferiores parere præstantioribus, nec molestè ideò homines ferre debere, quòd sciant, se subditos. Et quidèm, quæ spes restat ægrotis, si Medicis non obtemperent? quomodò tuta na-

M m 2

uiga-



uigatio, si Nautæ Gubernatoris Navis iussu non pareant? Istas duas Natura res comparavit necessarias in humano genere: nempe ut alij cum Imperio essent, alij subijcerentur, *Tholos. syntagm. iur. lib. 21. cap. 8.* quare Imperij loca tenenda sunt, ut non contingant, Imperantes unâ infimul ob benignitatem diligere, & à subditis contemni, *Ioseph. loc. cit.* Hocque Tito Diuus Paulus præscripsit: *Nemo te contemnat.*

- 4 Hinc est, quod etiam tradunt & leges, puniri quemlibet, nisi debitam præstent Superiori reuerentiam: turpe siquidem, Superiores non venerari, *Giurb. conf. crim. 38.* Hocque, & ipsi parentes facere debent, cum sint digniores, licet sit pater in domo maior, *Capibl. sing. 74.* aliàs testante Poeta *Lucr. lib. 5.*

. . . Subuersa iacebit

Pristina Maiestas soliorum, & sceptrum superba.

- 5 Et quod magis est, cum sit faciendum, quod decet, quilibet faciet, quod vult, & facultas illa faciendi, quod cuiuslibet videtur, non poterit comprimere ingenitam singulis hominibus prauitatem, *Aristotil. 6. politic. cap. 4.* sicq; vires Imperij in consensu obedientium, *Liui. lib. 3.* quod cæci vident, quàm sit incongruum.

- 6 Aduertant igitur iustitiam Ministrantes, ac Superiores cuncti, ne contemnantur à subditis, dum & natura dictante, soluenda sunt obseruantie pensa ijs omnibus, qui virtute, merito, dignitate, aut ætate, ad ordines præcellentie subuehantur: Senior ab adolescentibus, Magister à discipulis exigit, sed maxime
qui

qui regit à subditis. Hac sublata tollitur dominium, omnisque hic Imperij contextus in multas partes dispertit, *Senec. lib. 1. de clem.* adeò quod lætale malum dicitur à Politicis despectio authoritatis: nam, qui dignitatem officij contemnunt, omne audent, nilq; intentatum relinquunt, quo authoritatem prosternat: quod iniustum non tantum, ac inconueniens, sed vile. Unde Musa materna Vates:

Lasciar che d'oltraggiarci

Altri porti superbo altera palma,

Virtù si dice, & è viltà dell'alma.

- 7 Experimento tamen visum est, quod non tantum, ut est in adagio, familiaritas nimia parit contemptum, sed authoritas eo prosternitur, ac contemnitur, quando præsertim imperatur austerè nimis, *Simanch. de Republ. lib. 5. c. 9. & lib. 6. c. 1. nu. 9. Bonadill. 3. Polit. c. 3. nu. 32. & 34.* Hocque magnum delictum est, & caput omnium delictorum, ut docet *S. August. lib. de pastor. cap. 8.*

- 8 Itaque regula erit, ne nimia exerceatur potestas, nec nimia seruetur humilitas, ut multa asperitate non exculiarentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Si mollis erit Superior, dicetur iniustus. Si rigidus, erit tyrannus, *Capiblanc. in rubr. de Baron. nu. 73. & pragm. 3. nu. 15.* miscenda ergò lenitas cum seueritate, adeò quod fiat ex utroque temperamentum, & proinde sit amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, *D. Gregor. in suis moralib. lib. 10. part. 4.*

cap.



cap. I I. rigor enim non debet esse rigidus, sed mansuetudo non dissoluta, *Cirill. loc. cit. de offic. Præs. & in tit. de pæn. §. I. nu. 4.* sit Regentis symbolum Sol ipse, qui teste *Claudian. in paneg. Theodos.*

Medium non deserit unquam

Cæli, &c. iter, radijs tamen omnia lustrat.

9 Vbi tamen autoritas contemnitur, dignitas parui fit. Culpa est relaxare vindictam, *Cirill. loc. cit. tit. si Reus in ius vocat.*

10 Hæcque sunt magna illa peccata, quibus vult *Tacit.* sæueritatem commodare. Lenitas pericula facit, siquidem nil obedientiæ videretur prodesse humilitas, si alijs non obesset contemptus, *Cirill. ibid. nu. 4.* Cum ergo periculum ex lenitate, ut eiusdem est *Taciti*

11 dogma, prudentè in Rectore sæueritas. Vnde materna lingua non vulgaris Poeta:

*Quand' al rigor somma giustitia incita.
Spesso liquor, che placa, induce morte,
Spesso ferro, che taglia, apporta vita.*

MONITVM LI.

*Priuatim, & publicè seruanda fides: standum est
verbis, ac euitanda fraudolentæ promissiones.*

SVMMA RIVM.

- 1 Nil tam receptum, quàm fidem fallere.
- 2 Crimen est improbum, fidem fallere, & quare.
- 3 Pri-

- 3 Prisci iurantes solebant delibare sanguinem.
- 4 Dolenda est improborum sors, & quare.
- 5 Versutia disperdit bona prudentia.
- 6 Perfidie pœna Diuina ultio, & humana infamia,
- 7 Omni Iuri conuenit obseruantia fidei.
- 8 Fides si absit, cæteræ virtutes corruunt.
- 9 Amicitias fides seruat.
- 10 Verba referuntur Theodorici Italie Regis.
- 11 Monitum Aristotelis circà fidem seruandam.
- 12 Quod habetur 3. Regum, refertur.
- 13 Carmina Sill. Italici.

C A P. LI.

NIL hodiè tam receptum, quàm fidem fallere, *Senec. cent. 2. epist. 59.* adeò quòd luditur & incenit, rancidam esse virtutem, seruare promissa, ut aliàs scripsi in *tract. de Official. Baron. cap. 103. num. 6.* cum tantum sit Mercatorum stare promissionibus, ac verbis. Et cum prius ita vituperaretur Phinondra propter eius perfidiam ab Aristofane, quòd dedit adagio causam: *Impurior Phinondra.* Hodiè qui valde eo impurior est, ab inhonestis, & facie tetrus, laudatur: nam re vera, perfidis nunquam causa deficit, cum pacto non stent, semperque aliquam fraudi speciem iuris imponunt, *Liuius histor. lib. 9. & cum Iuuenal. teste satyr. 13.*

Iam casibus omnia ponant,

Et



*Et nullo credant mundum Rectore moueri
Natura volente vices, & lucis, & anni,
Atque intrepidi quæcumque altaria tangunt.*

2 Sed quàm fit huiusmodi Atheorum sententia fallax, vident & cæci, dùm re vera nullum tetrius improbitatis crimen, quàm illusio veri, & aliter sentire, sunt languidæ mentis deliramenta, ac errata Politicorum plusquàm palmaria. Siquidem fides iustitiæ fundamentum est, *Cicer. 1. de offic.* Sanctissimum humani pectoris bonum, *Senec. epist. 89.* Basis humanæ societatis, ex *Platone.* Infirmatis, violatisque pactis tollitur inter homines commerciorum vsus, *Aristotil. 1. Rhetor. c. 15.* Vndè res pulchra, lingua, cui stet fides, *Euripide lib. .* nec vlla res vehementiùs Rempublicam continet, quàm illa, *Tull. 3. de offic.* ità vt, nisi in fide stet Respublica, aduertit *Linus*, Rempublicam potentia, & opibus non staturam.

3 Nimis insidiosum malum periurium, & perfidia est, quæ tantum affert incommodi humano generi, quantum salutis præstat bona fides. Prisci iurantes mutuum solebant delibare sanguinem, vt, si quis tantam violaret fidem, sanguine ipso Superiorum vindicta, pœnas daret, & ex Principe Poetarum *Homero.* Qui enim amant mendacium, filij sunt Diaboli, *D. Ambros. serm. de do. Abraam*, ex quo Deus pater quomodò genuit filium veritatem, sic Dæmon lapsus genuit quasi filium mendacium, vt docet *D. August. sup. Ioann.* Hoc & increpat *Naso*, dùm canit *epistol. 6.*

Mo-

*Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
Cûr tua pollicitis pondere verba carent?*

4 Dolenda est improborum fors, certè nimis, quæ dolis proprijs minimè exposita, alienis ad perniciem iugitè circumuenitur. Animus se ipsum infæcat, & contumelia afficit turpi, dùm aliquid fictè, & simulatè proponit, primusque turpitudinis ictus primo Parenti, mendacij vulnere inflictus est, quo conuictum humanum vitiosa temerans simulatione, seipsum primò violauit.

5 Dicat aliquis, inquit *S. Chrysostom.* nonnè & prudentia opus est? At quid aliud est prudentia, quàm denudata simplicitas? Subdolanus, licèt sit versatus, veræ tamen prudentiæ versutia bona disperdit. Implexa locutio, fictumque opus raro famulatur consilio sanæ mentis, cum desit mentis candor, qui faciem prudentiæ præfert. In præceps abit, qui per tenebras pergit ad lucem, malumque agit, qui lucem odit. Ijs, qui sunt in dignitate, turpiùs circumuenire, aut lædere fraude, quàm vi aperta: malitia est, cum proprium commodum attenditur, moribus deceptorijs, ac palliata veritate, vt docet *S. Augustin.*

6 Oh quam misera est fides, (exclamat contrà perfidos *S. Zeno in serm. de fide*) quam verba concinnant! Oh quam debolis, cuius quotidie, varijs argumentationibus membra dissipantur! Oh quam turpis, & lubrica, de qua ludit aliena sententia! Oh quam adultera, quæ non cognoscit, à quo authore sit nata! Vt

N n

h



habent in promptu perfidiam, ita & præmanibus causam, & qua à fide recedant; ij quidem sunt, quibus leuis offensa summum periculum sit, secundæ autem res, leue ministerium, *D. Ambros. lib. de Ioseph. Patriarch.* Inde eorum dogma: Demens est, qui fidem præstat. Sed time perfide Diuinam ultionem, dum te non tenet humana infamia: nam lento gradu ad vindictam sui Diuina procedit ira, tarditamque supplicij grauitate compensat, *Valer. Maxim. lib. 1. c. 1.* etiam si tardiùs inuadat periuros, concessio poenitentiae spatium; tamen, nisi à malitia discesserint, lento gradu eos allequitur, & poenas exigit, *Zonor. in Rom. Iacop. tom. tertio.*

7 Conuenit enim obseruantia fidei Iuri naturali, Rationi ciuili, ac politicæ, ut docet *Reg. Merlin. lib. 1. contr. 53. nu. 2. & 3.* Sublata fide, haud

Territa, que petijt Stellas Astrea redibit.

8 Sine hoc hominum cetu, ruunt ceteræ, velut amissæ basi, virtutes, ruit &

Illud amicitia sanctum, & venerabile nomen.

9 Etenim præter alios optimos quamplures effectus, quos parit seruata fides, ita testante *Claudian. in Stil. laud. lib. 2.*

Hæc & amicitias longo post tempore firmat.

Maneat igitur in Christiano Rectore promissorum stabilitas, nec fidem voluntatis mutatio deuenustet, *Simancus lib. 9. epist. 43.* Docet Theodoricus Italiae Rex, dum Arelates, dubitantibus de frumento promisso,

missio, apud *Cassiodor. lib. 3. ep. 44.* ita ait: *Reuelate nunc animos, & de nostra promissione recreati, habetote fiduciam, quia non minus est, quod nostris verbis, quam quod horreis continetur.* Probant DD. cuncti, ut fides data seruetur, mandantque leges, seruandam fidem, & Hostibus.

11 Hocque est, quod monet *Aristotil. de secret. 1. c. 26.* dicens: *Nè infringas fidem alicui datam; & seruanda promissa rogat Terent. in Adria. Ibi:*

Imò enim nunc maximè abs te oro,

Atque postulo.

Vt beneficium verbis inhitum, dudum nunc

Re comprobes.

12 Et generalitèr est vox Diuina *3. Reg. cap. 2.* quæ præcipit: *Laua à malitia cor tuum, alias reddet Dominus malitiam tuam super caput tuum.* Et *Vates:*

Qui frangere rerum

Audebit pacta, ac tenues spes liquet amici,

Non illi domus, aut coniux, aut vita manebit.

MONITVM LII.

In ore sit semper Veritas, nisi quando expediat ingenium dissimulatione componere.

SVMMARIVM.

1 *Ubi leonina pellis non sufficit, oportet induere vulpina.*



- 2 Contrarium: nam Veridici Deo assimilantur.
- 3 Iudicibus confert habere veritatem in ore.
- 4 Simulatio inimica virtutis, nec de mendacio bonum.
- 5 Regentibus mentire non licet.
- 6 Nec pro Dei laude mentiendum est.
- 7 Expenditur Aristotil. & Platon. sententia.
- 8 Quando permissum mendacium, de sententia Procopij.
- 9 A S. Augustini sententia, putat non recedendum Author.
- 10 Quid dicat Plaut. de simulat. refertur.
- 11 Dissimulatio permissa, saluo virtutis iure.
- 12 Quomodo procedendum cum volentibus fallere.
- 13 Item quando possint Rectores dissimulatione uti.
- 14 Encomia Tiberij apud Tacitum referuntur.
- 15 Verba non sunt instituta, ut fallant homines.
- 16 Quid probet, refertur, in Rectore Ennodius.
- 17 Carmina Bergazzani.

C A P. LII.

H Abent nonnulli, qui vulgatam opinionem Politicorum alienum putant, sola posse innocentia vivere. Hoc dogma, uti tutum oraculum: nempe, quod oportet vulpinam induere pellem, ubi leonina non sufficit, secuti non minus scelestam utique vocem: Id utile, quod fructuosum, & quod regnare nescit, qui fingere non curat. Quod quidem cum generaliter sit sub vitio, hanc & aliam puto Christiano Rectori congruam

- gruam virtutem sub ramo Iustitiæ: *In ore veritatem.*
- 2 Et quidem omnibus patet, quod veridici assimilantur Deo, qui est via, veritas, & vita, & qui veritatem contemnit, Deum prodere videtur, *text. in capit. abijt 2. qu. 2. nam, & teste Platon. de Republ. dialog. 20. summoperè Dij oderunt mendacium.*
 - 3 Propterea multum confert iustitiam Ministrantibus, in ore suo veritatem habere: cum sit nihil, quod clarius lumine fulgeat, quam simplex veritas, & non duplicata locutio, *l. epistol. inter clar. C. de summ. Trinit. nec ab alio magis cauere debet, qui præest, quam ne vnquam sit adulterinus: nam proprium Regentis, simplex, & verus semper, Plat. lib. 5. de legib. Et Regia virtus est, neminem decipere, S. August. lib. 1. qu. 83.*
 - 4 Simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate, & veritate fraudabit, ut inquit Beda; nec extrà rem ideò ita ait Terent. in Heauton.

Quid dicam? quam causam adferam? quin nolo mentiare.

Apertè, ut res se habet, ita narrato.

Nam, qui mentitur, animam suam occidit, *Vini. decis. 467. nu. 76. nec vllum vnquam de mendacio bonum, ita ut dicat Sapiens in Prouer. cap. 3. Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes; quod cum non esset opertum Tragic. in Adelph. contra huiusmodi homuncium, qui, iuxta illud Tertull. lib. de pall. Multicolor, discolor, & versicolor, nunquam ipse, semper alius; & quando alius*

alius, semper ipse, increpando scripsit:

Satis diu dedisti verba nobis,

Satis adhuc frustrata est tua nos fides.

Et ideo sapientissime monet *Claudian. de 4. Honor. Conf.*

Nec dubie suspectus, agas, nec falsus amicus.

Et *Plautus in Perf.*

Mendacium Adepol dicis, haud te decet.

5 Quod si generaliter verissimum est, tanto fortius locum habet in Iudice, Reipublicæque Rectore, quibus nec licet dicere mendacium, etiam ad eruendam veritatem. *Baiard. ad Clar. qu. 55. nu. 2. Zuff. de legit. proc. qu. 38. num. 4. Unde Isai. cap. 28. Audite verbum Domini Illusores, qui dominamini super Populum meum. Veh duplici corde! Veh labijs scelestis, manibus malefacientibus, & peccatoribus ingredientibus duabus vijs, ut habetur in Eccl. siquidem veritatem diligit Dominus, praesertim in ore Iudicum, quia iustitia non ambulat sine veritate, Bened. in cap. raynuntius, de testam. num. 18. Capibl. in rubr. prag. de Baron. num. 96. Unde David.*

Iustitia, & Veritas obuiauerunt sibi.

6 Et ideo debent Rectores, & Iudices vnico loqui sermone, & inuariabili, *Arniseus de iur. Maies. c. ult. in fin.* Et prout monet *Tull. 2. de offic. ex omni via simulatio, & dissimulatio tollenda est, dum abominatio Domini est omnis illusor, ut in prouer. c. 3. Et est praecipuum in Eccl. c. 7. Ne velis uti mendacio ullo:*

nur-

nunquam enim prodest frequentatio illius, adeo quod mentiri nec licet pro Dei laude, ut docet *S. Augustin. epist. 8.*

7 Equidem tamen non ignoro, Platonem Magistratibus, tanquam publicis Medicis (mali alicuius euerendi causa) mendacium non grauatè concedere, ut in *lib. 3. de Republ.* Atque ab Aristotile, Oratorem, iusta in causa, ad fallaciam, in Rhetoricis informari, ut in *lib. 1. Rhetor.* Et quod mendacio vis inest Ellebori, quo vtendum, si necessitas vrgeat, ut ex *Cassiodor. coll. 17. c. 17.*

8 Nec me latet, quod, qui publicas personas agunt, & in ciuilibus, arcanisque Reipublicæ versantur, saepe pro temporum, ac rerum opportunitate dissimulare tenentur, ut prudentiæ, fauente fortuna, felices obtinant consiliorum euentus; spectare semper idem debent, nimirum commune Reipublicæ bonum, & non semper dicere idem, cum plerumque profit versatilem habere vultum, & sermonem; tunc enim mendacium, cum bonum finem spectet, veritatem adæquare tradit *Procop. in lib. 12. Reg. c. 15.* nam doli non sunt doli, nisi actu colas, ut author est *Plautus.* Nec unquam benè regent, qui non tegent; ij enim, quibus commissa est Reipublicæ administratio, ut ad effectum consiliorum suorum veniant, expedit, multa simulent, & dissimulent, etiam inuiti, *Cicer. lib. 10. epist. 9.* & ita saepe, quod rerum, aut temporum angustiae negant, sagacitate consilij assequuntur, *Valer. lib. 7. c. 3.*

Et

Et proindè aduertit *Herodot. lib. 3. aiens:*

Quando expedit dicere mendacium, dicatur.

Et *Martial. epigr. 4.*

Decipies alios verbis, vultuque benigno.

9 Ast à sententia eorum, qui ponunt mendacium, non inter ea, quæ, sua natura, sunt mala, procul me abducit vox sancta *Augustini*, quæ talis est: *Quis quis esse putat aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum, vt in lib. de mendac. cap. 4.* Et hoc ipsum visus est *Aristotiles* docuisse in *Ethicis*, dicens: *Per se mendacium quidem malum, & vituperabile est; verum autem honestum, & laudabile.* Et verum falso semper esse melius, aduertit *Plutarch. in Apoph.*

10 Quapropter, licet dicat *Plutarch. loc. cit.* vtriusque esse præstantiam, sed quod oportet vsu discerni, ita vt, qui modicè dissimulatione vtantur, & in his, quæ haud planè perspicua, & ante pedes, oculosquè sunt, appareant gratiosi, vt inquit *Aristotil. 3. Ethic. c. 7.* Et quòd deceptio est cum inducis alium in tua commoda, errore, aut mendacio obiecto; aliàs vt medicamentis venena laudabiliter miscemus, salutari illo fine; sic videntur, instar farmaci, hæc talia esse utilia, *Plat. 5. de Republ.* Et proindè aduersus Hostes, quòd malum sub lingua, non in lingua sit, *Gregor. 15. moral.* dum profecta perdunt odia vindictæ locum, vt aduertit *Senec. Tragic. in Medea.*

11 Hoc tamen probo cum grano salis in Christiano

Re-

Rectore, & saluo semper virtutis iure. Et sic ad prudentiam, ad bonum publicum, non ad priuatorum perniciem, adhibenda sunt simulationis integumenta: Tunc vtiquè erit dissimulare prudentia: nam parendum temporibus esse, rebusque variè obtingentibus, præcipiunt Sapientiores omnes. Scèpè facit Sapiens, quæ non probat, teste *Tullio*, at tantum, vt ad maiora transitum inueniat, nec vnquam bonos relinquit mores, sed eos variè, varijs temporibus aptat. Sedere duobus sellis, commodum est, si fiat absque offensione, & virtutis periculo. Id prouidi, & sapientis est hominis, non vno semper gradu, etsi vna via procedere, *Diphil. Poet. Græc.* testatur, nil hoc habere incommodi, si efferratur gratia salutis. Imò cautius, & sagacius ingenium illud est, quod obliquo non vnquam ductu conatur, & admittitur, vt res gerendas tractet benè, atque peroptatam assequatur metam: nam, vt ait *Terent. in Hecyr.*

. *Istud est sapere,*

Qui ubicumque opus sit, animum flectere possis.

12 Non enim defunt, qui, vt Rectorem fallerent, prudentiam non tantum, sed fidem, abducto supercilio, tardo incessu, vultu tetrico, verborum ampullis ementirentur, fictisque blanditijs odium, ceu Lupum ouina pelle tegerent. Cum his componat Rector in dissimulationem, ingenium, vt mores illorum diligentèr obseruet: nam Oraculum veritatis est: *A fructibus eorum cognoscet eos; & tunc gloriosum, & salubre tu-*

O o

nide

midæ procellæ arte subducere vela, comparandum namque pomis illis, quæ nascuntur in Sodomis, quæ tametsi in speciem adolefcunt, at si tangantur, fumum exhalant, at velut in cinerem vanescunt, vt perhibent Historici, & ideò prudenter agendum cum ijs, vt prodeat, antequàm prodant, & euanescat doli fuligo.

- 13 Possunt insuper Rectores dissimulatione vtì, cum quid prosperæ, vel aduersæ fortunæ in Republica attingat, ex quo collabuntur subditorum animi, cum fractam Regentium mentem aduertunt, & ideò ostendenda vultus hilaritas, etiam inter infaulta, quod proprium existimatur Sapientis; & in hoc est verum, vt inquit idem *Diphil. Poet. Græc.* quod mendacium nil habet incòmodi, & ponit sub laude *Virgil. 1. Æneid.* dicens:

Talia voce refert, curisq; ingentibus ager

Spem vultu simulat, præmit altum corde dolorem.

- 14 Quare encomia sunt Tiberij apud *Tacitum*, dum scribit *4. Annal.* *Iam corpus, iam vires, non dum dissimulatio deserebat, idem animi vigor, sermone, & vultu intentus, quæ sita interdum comitate, quamuis defectio- ne manifesta tegebat.* Hoc siquidem distat procul à vitio; imò, id est Rectorem scire, tempori se adaptare, & hominum ingenio. Nec expellit à sua Republica *Plato* Rectores, qui simulent, vel hostium, vel Ciuium causa ad bonum finem, & Reipublicæ utilitatem, vt in *lib. de Republic. dialog. 3.*

- 19 Coeterùm verba instituta sunt, vt eis in alterius notitiam

titiam cogitationes proferat suas, non vt per ea homines se inuicem fallant, *S. August. in Enchyrr.* & habetur in *tex. in cap. his autem 22. qu. 2.* & Beatus quippè est, qui non est lapsus verbo in ore suo, *Eccles. 14.* Vndè *Dauid psalm. 14.* *Domine quis intrabit in Tabernaculo tuo? qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, & qui iurat proximo suo, & non decipit.* Caue ergò Christiane Iudex, ac Rector, caue à mendacio, apage deceptorias simulationes, malosq; dolos. Ennodius illum Rectorem sapienter probat, in quo inuenirent omnes, & verecundam serenitatem, & sermonem prudenti simplicitate conditum, ità nimirum, vt nedùm lingua vigesceret affatu, nec operis rigor suaue deuetultaret alloquium, ità vt in naturam transeunte omni honestatis, & veritatis lege, quod si mentiri vellet, non posset errare, ità vt semper sonaret pudicam lingua dulcedinem, vt nunquàm mentis nubilum tecto, sereni sermonis operiretur, vt quod esset pectoris, semper etiam esset loquelæ. Ità demùm quòd si ex necessitate, dictis, vel opere simulare contingat, sit ad prudentiam, non ad fraudem, aliàs eum hominem fictum Spiritus Sanctus effugiat, vt inquit *Sapiens c. 65.* *Eod. teste c. 5. d. 14.* *Euertet certè malignitas sedes Potentum.* Vndè *Vates:*

*Da i duri lacci delle proprie frodi
L'ingannator s'innoda, e s'incatena,
Nè può fuggir' il reo la giusta pena.*



M O N I T V M L I I I .

*Iura Ciuitatis seruanda, nec de facili inducendæ
nouitates in subditis.*

S V M M A R I V M .

- 1 *Leges conduntur, & quare.*
- 2 *Dementia est, statuta mutare.*
- 3 *Meliùs est imperfectionem tolerare, quàm statum
euertere.*
- 4 *Vis consuetudinis refertur.*
- 5 *Tiberius loquutus fuit leges antiquas.*
- 6 *In rebus nouis constituendis euidentis esse debet utilitas.*
- 7 *Euitandæ nouitates, & quare, vsque ad num. 10.*

C A P . L I I I .

- 1 **P**ortenti instar est, inani, & contorto Sophisma-
te receptas theses inuoluere: ad salutem enim Ci-
uium, ad Reipublicæ incolumitatem, & ad beatitudi-
nem cunctis comparandam cum condantur leges, nec
mutandæ, aut de facili im mutanda iura, suadet Poli-
tica Ratio. hocque cum sit sub ramo Prudentiæ, hanc,
& aliam trado virtutem Christiano Reçtori, quem do-
cet & summus legislator Deus, qui leges semel latas
nescit abolere, mutare, aut innouare, ex quo, quod
iustum

- iustum, aut iniquum est, semper idem est, nec iustitiæ,
aut impietati inditus circumuertitur ordo.
- 2 Et quidè m maxima est legis vetustas in Republica,
& grauissimum est senescentis consuetudinis impe-
rium; quapropter rebus prosperè succedentibus ma-
gna fuerit dementia, prima instituta mutare, *Agatius
lib. 10.*
 - 3 Et ideò sapientèr docet *Aristotiles*, meliùs esse le-
gum, & Magistratuũ imperfectionem tolerare, quàm,
mutando, Reipublicæ statum euertere: nam ipsa no-
uitas est quietis publici status perturbatio, & nouum
omne, & incognitum, quod est, suspectum est, teste
D. Augustin. epist. 118. c. 5. dùm ait: *Ipsa quippè muta-
tio consuetudinis, etiam, quæ adiuuat utilitate, nouitate
perturbat.* Nouis que in rebus constituendis maius est
periculum, *Tull. epist. 6. lib. 2.* Super enim negotijs
omnibus meliùs, atque rectiùs olim prouisum, & quæ
conuerterentur in deterius mutari, testatur Politico-
rum Princeps *lib. 4. annal.*
 - 4 Quod enim consuetum est, innatum ita videtur,
quod illi, sicut matri, adhibenda erit reuerentia: nam
æquiparatur iuri naturali, quod est immutabile, *Bald.
conf. 185. vol. 1.* Inde est, quod fuit semper in magna
veneratione consuetudo, & stylus, *Bartol. in l. Titio, §.
Titia, col. 2. de legat. 2.* etenim, dùm iuxta Virgilianum
illud:

. . . *Vires acquirit eundo.*

Influit in mores omnium sic, vt, vel à natura putetur
esse,

esse, aut ab antiquis bono publico institutum, proinde nil aptius, neque potentius consuetudine, adeo quod tradit *Tucydid. lib. 6. in orat. Alcibiad.* tutissimos inter omnes degere eos, qui presentibus moribus, ac legibus, etiam, si minus bonæ sint, utentes, eodem tenore Rempublicam administrant: nam, prout etiam testatur *Lucian. var. histor. lib. 1.* sæpè numero etiam mutatio in melius maiorum malorum solet esse principium.

5 Tiberium in hoc laudat *Tacitus 1. 1. annal.* nempe, quod fuit antiquas leges sequutus: siquidem qui non sectatur, destruit, quod probat *S. Leo PP. lib. 12. epist. 82. ad Anastas. cap. 20.* ubi ait: *Si ea destruerem, que antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed versor iuste comprobaber, testante veritatis voce in cap. si ea destruerem, 25. quest. 2.* ibi: *Nulla possunt improbitate conuelli; nulla nouitate mutari, & cap. 3.* ibi: *Nec pretermitti posset hoc, quod antiqua patris institutio, &c.* ex quibus contra nouatores concludunt *Mench. lib. 5. presumpt. 34.* *Reg. Valenzuol. conf. 24. tom. 1.* *Morot. respons. 92.* & *Franc. Balduin. in §. sed naturalia, nu. 24.* & *25.* *Instit. de iur. nat. gent. & civil.* inuehitque *Bald. in l. 2. ff. de constit. Princip.* & generalitèr nouitates huiusmodi abnuunt *Ancharan. conf. 158.* *Nauiar. conf. 15. de reb. Eccles. non alien. num. 5.* & *conf. 17. de vot. n. 15.* & inter Politicos præsertim *Eras. à Kochier. in Thesaur. politic. lib. 2. c. 4.*

6 Quamobrem in rebus statutis reuocandis, ac in
no-

nouis constituendis, euidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo iure, quod diu visum est æquum, ut in *l. 2. ff. de constit. Maioran. in opopr. c. 10. n. 41.* ut habetur in *l. in rebus, & in l. minimè, ff. de legib.* ubi dicitur, non tantum, nè nouitates inducantur, sed ut prorsus euitentur, *tex. in cap. consuetudinis, rubr. de consuetud. cap. dilectio, de affin. & consangu. Capyc. decis. 148. Reg. Valenzuel. conf. 24. vol. 1.*

7 Et certè ad rectum prudentiæ actum spectat, se à nouitatibus abstinere: cum nihil otiosus sit, quam ea mutare, quæ antiquitas, uti honorifica, introduxit, *idem Reg. conf. 52. nu. 51.* Cara vetustatis species seipsam facile absque noua lege tuetur. Nouitas vix vlla præmiorum spe, metuque poenarum, aut Magistratum officijs consistit: semper enim nouitates periculo subiacent, *Butr. in cap. non debet, de affin. & consang. præsertim, si quid attentetur contra ius, idem conf. 42. col. 2.*

8 Et confert celebris illa *Cassiodor. sententia lib. 2. epist. 4.* ibi: *Delectamur vetustatis inuento, & sequi regulas constitutas libentèr amplectimur, quia locus subreptionibus non relinquitur, quoties rationabiliter constituta seruantur.* Quod idem *Cassiodor.* repetit *lib. 10. epist. 25.* & comprobant *Eras. à Kochier. loc. cit. lib. 1. c. 5.* *Petr. Gregor. Tholos. lib. 33. syntagmat. c. 7. nu. 8.* & *lib. 8. de Republ. cap. 2. nu. 14.* & eruditissimus Hispanus *D. Io: de Solorzan. lib. 2. de Indiar. iur. cap. 16. nu. 76.* ibi: *Quia ex nouitatibus conturbatio populorum*

oritur, & seditiones, atque discordias sæpè numero generari per nouitates: cum semper nouitates publicum statum lædant, ex *Aristotil. fundat Franc. Patritius de Republ. lib. 3. c. 1. num. 44.* quoniam præsumuntur malæ contrà tentantes innouare bona regimina Ciuitatis, *Bald. loc. cit. & latè Menoch. ibid. lib. 5. cit. præf. 34.* Vndè & *Hypocrat. in aphorism. Omnes mutationes periculosa;* & generalitèr vulgò fertur:

Pariunt nouitates discordiam.

- 9 Sanè ergò monitum ex *Proverb. c. 22. Nè trasgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Et ex Deutor. c. 8. Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi. Et ex Iob. cap. 8. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memorias. Et Hyerem. c. 6. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Semper nouitas solet esse publico statui nociua, ac nutritiua scandali: nam re vera desuescere ijs, quæ longo roborata sunt vsu, ijsque assuescere, quæ vsui sunt incognita, admodum difficile est. Nec in extremis morbis noua sunt tentanda remedia, cum sit occultum, si necent, vel sanent. Non leges, quæ mutantur, faciunt ius bonum, bonosque mores; sed seruata fidelitèr, *Lips. in miscell. c. 9. lib. 2. Imperium ijs artibus detinetur, quibus initio partum est, Idem 1. politic. c. 5. Cum fiunt mutationes, solet fortuna immutari cum moribus. Et ideò cum Crauetta cons. 228. n. 14. à nouitatibus abstinendum: nam re vera, Cornelio Gallo testante:**

Euen-

Monita de Virt. Christ. Iudicis, C. LIV. 297
Euentus varios res noua semper habet.

M O N I T V M L I V.

Magnificè agendum simul, & honestè, ita vt rerum vsus virtute corrigatur.

S V M M A R I V M:

- 1 *Magnificentia quid sit.*
- 2 *Magnificentia in quibus consistat? traditur.*
- 3 *Quotuplex sit? explicatur.*
- 4 *Quis dicatur Magnificus?*
- 5 *Vsus rerum virtute corrigendus.*
- 6 *Diues, quis dicatur?*
- 7 *Crassus, & Crasus quare effecti pauperes?*
- 8 *Difficile est in vsu rerum tenere modum.*
- 9 *Modus in omni re optimus.*
- 10 *In omnibus seruandus vsq; ad nu. 17. ubi Carm. Preti.*

C A P. L I V.

1 **M**agnificentia est rerum magnarum, & excellentiarum, cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio, atque administratio, vt ait *Tull. lib. 2. de inuent.*

2 Hæc potioem magnanimitatis partem occupat, quæ licet in magnis præsertim soleat versari sumptibus,

P p

bus,

bus; alia tamen opera, animi magnitudini respondentia, dicitur exoptulare, vt *ibid.*

3 Duplici tamen materia constat: interna .s. & externa. Interna, amor est, & cupiditas pecuniæ, quam moderatur. Externa verò duplex est, aut magni sumptus, circa quos versatur, & est minus remota; vel ipsæ diuitiæ, aut pecuniæ, circa quas versatur, tanquam circa materiam magis remotam, ex *Thesaur. Arist. comm. lib. 14. c. 23. fol. 283.*

4 Et ideò, qui in seipsum sumptuosus est, non dicitur magnificus, sed qui in magnis pro dignitate sumptus facit, *Aristot. loc. cit.* Non est enim eadè omnibus regula agèdi magnificè, neq; in omnibus honestas magnificentiæ comparatur; ex quo excessus eius vocatur inscitia decori, & sorditas, & proindè ordo seruandus est, vt magnitudo cum dignitate iungatur, ità vt dignitas operis personæ dignitatem respiciat, nec vllum dicitur magnificentiæ opus, quod ab honestate recedat, adeò quòd inhonestus potius, quàm magnificus erit dicendus, qui secus fecerit.

5 Vt ergò magnificentia sit sub virtute, debent Christiani Rectores mediocritatem tenere, eam ab honestate non separare, & vsum rerum virtute corrigere: nam iuxta illud *Senec. in Trohad.*

Moderata durant.

Et beatissima est illa hominis vita, in qua exteriora bona virtutis vsum dareseunt, vt inquit *Varo.* Hinc datæ sunt opes, non ad contemptum, sed ad Vitam trāsigen-
dam, & cultum. Vnde *Vates:*

Vi-

Viuatur exiguo meliùs, natura beatis

Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.

6 Non utiquè equus sine fræno, nec diuitiæ sine ratione possunt retineri diù. Et Diues non est, qui multum possidet, sed qui possessis vtitur benè: cum non possit à Deo maior homini dare copia, quàm vt rectè ijs frui possit, quæ possidet. Ad rem *Horat. lib. 1. epist. ad Seium.*

Fruētibus Agrippæ siculis, quos colligis iui,

Si rectè frueris, non est vt copia maior,

Ab Ioue donari possit, &c.

Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsum.

7 In Crassi, Cræsi, ac Midæ sinus, veluti fluentia opum flumina corruarunt; at quia in vsum non tenuere modum, propterea vulgatissimis obijciuntur probris, & ex his inde cantus:

Irus & est subito, qui modo Crassus erat.

8 In vsum tamen rerum, res utiquè est difficillima, tenere modum, seruare ordinem; sed vt inquit *Comicus in Pseudul.* res plusquàm necessaria: nam teste *Venusin. Vat. oda 2. lib. 2.*

Nullus argento color est, &c.

Abdito Terris inimicæ lana,

Nisi temperato splendeat vsum.

Et epist. 1. ad Colli.

Valeat possessor oportet,

Si comportatis rebus benè cogites vti.

9 Idcirco modus optimus in omni re, *Lips. centur. 1.*

P p 2

ep. 14.

ep. 14. & tunc, dicit *Aristotiles*, magnificentiam esse virtutem, quando in sumptum magnitudine seruat decorem, vt in *cap. 2. mag. moral. c. 26.* Et quod magnificas res splendide administrat, sumptu tamen æquo, vt *ibid.* Magnificentia nimium vocatur profusa largitio; Parum dicitur sordes, *Aristotil. 2. Ethic. c. 7.* Res adaptandæ personæ, quæ magnificentiam affectant, semper ab honestatis metro aberrantia, fuere magnificentia monstra. Insipiens omnis sapientia, cui non adest modus, *Lips. cent. 2. ep. 57.* & petendus est ab animo, cui composito semel, & securo nunquam superest aliquid, aut deest, vt *ibid. cent. 1. epist. 14.* Iacabundus est, qui vbi non expedit, sumptus facit, *Arist. lib. 1. mag. moral. c. 26.* Etiam Nero Domitius Augustus, qui lacum effodit, non magnificus, sed inhonestus fuit habitus. Nec tulit magnificentia laudem Licinius ille tonsor, qui ditissimus effectus Regium sibi construit sepulchrum, cum nihil indignius ætas illa iudicaret, quàm tam regiè iacere ignobilissimum hominem; vnde disticon:

*In marmoreo Licinius tumulo iacet, vt Cato paruo,
Pompeius nullo, credimus esse Deos.*

10 Debent ideò Iudices, & Rectores animo magis, quàm corpori viuere, ac debent esse in aspectu, & vestibus moderati, *Bonadill. 1. polit. c. 3. nu. 44. Mastrill. de Magistr. lib. 3. c. 2. nu. 76.* Id in vno quoque optimum est, inquit *Seneca*, quo nascitur quisque rationi, & animo nascitur homo plusquàm corpori. *Animi vita homi-*

ni

ni propria est, Corporis est communis stirpibus, plantis, ac Beluis.

11 Et sic, dum turpe est Sapienti, captare laudes ex corpore, ex *Ammian.* pulchrius erit præferre animum cultum, quàm vestem, *Aristotil. in præfat. ad Alexandr.* sanè namq; traditum ab *Hesiod. lib. 1. op. & dier.*

*Nec muliebri se comptu, locuq; politi
Vir quisquam.*

Et certo certius est, Romano Imperatore Mario testante apud *Salust.*

Munditias mulieribus, viris conuenire laborem.
Proindè in Vestibus, nè promiscua viris, & foeminis, vt monet *Tacit. 3. annal.* vitandæ sordes, sed non admittendæ delitiæ, & iuxta illud *Ouid. 3. de arte.*

Sit benè conueniens, & sine labe Toga.

12 In mensa damnantur, ac in conuiujs exquisita ingenia cœnarum, *Plin. in Panegyric.* ac damnandi Heluones, quibus mos vescendi causa, terra, marique exquirunt omnia, *Salust. Catillin.* Videant propterea, nè luxus mensæ, profusis sumptibus, exerceantur, *Tacit. ibid. 3. annal.* Idque actum est ab illo Mundi conditore, qui nobis viuendi iura descripsit: nempè, vt salui essemus, non delicati, *Senec. epist. 119.*

13 Etiam habitatio habet, & adfert aliquid dignitatis, si ea sit in loco splendido, & illustri; sunt tamen exornandæ ædes domesticæ, quòd non rapiant admirationem, neque nimiam spirent opulentiam, & sic nè superbe nimis in domo struant, aut instruant, & signis

Au-

Aulæis, alijsq; operibus exornent, vt inquit *Salust. ad Cæsar.* nam prodigo nimis suppellectilis ornatui est indulgere nephas, & omne nimium vituperabile est, & prout aiebant Pitagorici, extrema omnia sunt via ad mala: Medium virtutis ad fœlicitatem est trames: Extrema declinare, captare media, quibus dirigitur ratio, & quibus supprimitur affectio, sunt munera virtutis. Hæc ille Vates *Venusin. 1. epist. ad Qui.*

Virtus est medium vitiorum utrinque redactum

Me Dea sic docuit, moderamen amabile dixit.

14 Et quidem, vbi collocavit sedem virtus, in exilium vitij extremis indictus est, dum omne extremum est vitiosum, *Cirill. in summ. cri. sit. de furt. §. 1. num. 4.* & prout docet *Hypocrat.* omne nimium est naturæ inimicum: enimvero in medio est virtus, hominisq; ratio, adeo quod vbi deficit medium, humanitas & deficit. Non sunt homines Centauri, quos solummodo extrema constituunt; non sat est pedus, & caput præstare humanum, si reliqua transfunduntur in brutum. Scripta *Lypsæ Oratoris*, & *Platonis Philosophi* eo commendata sunt nomine à Phaurino, quod nullum tangat extremum, certi namq; virtuti constituuntur fines,

Quos ultra, citroque Rectum consistere nescit.

15 Virtus demum consistit in medio, & ab utroq; latere est vitij obsessa, vt inquit *Tull.* Est mediocritas indagatrix medij, *Aristotil. 9. ethic. c. 6. & lib. 2.* Et mediocritas est duorum vitiorum, quorum vnum est in excessu, alterum in defectu. Vbi parum, & nimium re-

peri-

peritur, ibi non est mediocritas, *Ibid. 4. eth. c. 4.* Sicq; est in vitio: nam nimium, & parum virtutem tollunt, *Ibid. 2. ethic. c. 9.* Sine modo etiam insipientia est insipiens, & est, quod canit *Horat. lib. 1. epistol. ad Numiti:* ita scribens:

Insani sapiens, nomen feret, equus iniqui;

Vltra quam satis est virtutem si petit ipsam.

16 Dum igitur vitia indita corpori extrema sunt, quæ pòdus faciunt, animasq; retrahunt, magnanimi est magna contemnere, ac mediocra malle, quam nimia, *Senec. epist. 39.* Vnde *Tragic. in Ded.* Fata si mihi liceret fingere arbitrio meo, tuta me media vehat, vita decurrente via: nam id arbitror, subdit *Terens. in Adria,* apprimè in vita esse vtile.

Nè quid nimis.

17 Et vt tali virtute fruatur, optimum semper erit, vt in cunctis euitentur extrema, magnifice, ac vna infimul honestè agatur, rerum vsum corrigendo virtute, Hoc congruum Christiano Reçtori, Hoc proprium magnificentiæ virtus erit:

Et in saper vsar norma, e raggione

Frà Tesori di Crasso esser Catone.

MONITVM LV.

*Impiorum calumnie, mendacia, machina Perfidorum
non timenda, cum adsit tutamen innocentia,
ac recte conscientia.*

SV M-

S V M M A R I V M.

- 1 Rectores, & Iudices subiacent insidijs.
- 2 Difficile à calumniatoribus se defendere.
- 3 Propugnaculum contra calumniatores: Recta conscientia.
- 4 Iustus timere non debet.
- 5 Nil in vita securiùs innocentia.
- 6 Veritas non moritur.
- 7 Deus machinationes contra iustos exertit.
- 8 In laqueis suis capiuntur Iniqui.
- 9 Carmina referuntur Innoiosa Commendatoris.

C A P. LV.

Iudices, ac Reipublicæ Rectores plusquam cæteri subiacent subiectorum periculis, & insidijs: siquidem plerumq; intrà mœnia, atq; in sinu Urbis sunt hostes, vt testatur *Salust. Catillin.* qui palàm honesti, animo tamen perfidiosi, & subdoli, *Tacit. 16. annal.* fidem proferunt, vel maximè, vt fallant faciliùs, *Leui. lib. 28.* adeo quòd non ante intelligunt Proditorem, quam sint prodi, *Latr. apud Senec. contr. 7. lib. 7.* dùm eorum tortuosa ingenia, quæ semel infida, fidem nunquam possunt inducere, sed illam facilè vendunt, faciliùs cum fortuna mutant, eorumq; oculi, frons, & vultus perscepè mentiuntur, *Cic. ad Q. fratrem. epist. 1.*

&

& ad reprehendenda dicta, aut facta eis ardet animus, vix satim apertum os, aut lingua prompta videtur, *Salust. ad Cæsar.* cum quibus, qui cauet, nè decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet, *Plautus in captiu.* Vnde sanè scripsit *Boetius*, quòd qui potetiam desiderat, subiectorum non tantum insidijs, sed periculis quampluribus subiacebit obnoxius: viuimus enim inter malos plerumq; qui ex fraude, fallacijs, mendacijs constare toti videntur, *Cicer. Pro Rosc.* Et testante *Lips. in orat. de calumn.* prout *Athletæ* in cursu non eos respiciunt, quos reliquerunt, sed intendunt saltèm in priores, sic dirigitur calumnia in meliores, vt verificetur dogma vulgatum: *Parit inuidia, quod non parit iniuria.*

2 Sitque vigilans, sitque rectus, sit prudentissimus, qui regit, non tamen poterit, virtutibus quibusuis, quibus sit decoratus, à calumniatoribus se defendere, ex quo, vt inquit *Lips. in orat. de calumn.* tempestatem nobis nubes denunciant, incendium fumus, & explorator hostem; at pernicies à calumniante, subita quidem est, & improuisa. Præterquamquòd, cum diebus hisce nostris sit de vsu calumniare, mentiri, falsèq; denunciare contra Iudices, & Rectores, desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia priùs, modò sint mores, *Idem in comm. Caij Plin. panegyric.*

3 Vnum tamen propugnaculum Christiano Reçtori, in hoc propono, & tutum trado, cum *Bonom. in Chyr. Achill.* INNOCENTIAM scilicèt, & RECTAM CONSCIENTIAM. Siquidem optima vita, recta

Qq

con-



conscientia magnum est præsidium: quos enim Super-
na protegent, fœlices aduersarios habere non possunt,
Cassiodor. in Epistol. Sæuum mare inuoluitur processis
spumante fluctuum impetu, Nauigij latera diuelluntur,
mortem præbent quæcumque temporis momenta, &
tamen ibi tuta cernitur innocentia, cum non turbetur
Nauis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam,
Viui. dec. 467. num. 77. ex quo iustus, cum sederit su-
pra Sedes, non aduersabitur illi quicquam malignum,
Cirill. in summ. crim. rubr. 2. §. 2. nu. 40. nec, Deo pro-
pitio, vlla nocebit aduersitas, *S. Leo serm. 6. de pall.*
Vnde Rex Dauid:

Dominus mihi adiutor, & inimicos despiciam.

Et Venusin. oda 22. lib. 1.

Integer vitæ, scelerisque purus

Non eget mauri iaculis, nec arcu,

Nec venenatis grauida sagittis

Euseæ pharetra.

Peccatori omnis creatura hostis est, iustus nil timet,
dùm omnis creatura ei famulatur, *S. Hieron. sup. Iosue,*
vnde per Prophetam ei promittit Deus, dicens: *Si tran-*
sieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & discimus
experimento, fidissimam esse hominis custodiam ip-
sius innocentiam, *Plin. in panegyric.* Hæc est animæ
suauissima, & saluberrima requies, Conscientia munda,
B. Bernard. serm. 106. & vt docet *D. Io. Chrysostom.*
sup. Matth. sicut in conspectu hominum gratiosa est,
facies pulchra; sic in oculis Dei gratiosa conscientia

pura

pura: siquidem nil in vita securum, solutumq; præ-
5 ter innocentiam, *Lips. 2. de const. c. 14.* Vnde Vates:

Nec fore perpetuam sperat sibi Numinis iram

Consciis in culpa non scelus esse sua.

Et *Laëtant. lib. 7. c. 21.* tanta est vis innocentia, vt ab
ea illis igne refugiat innoxius, qui accipit à Deo hanc
potestatem, vt impior vrât, iustis obtemperet, & prout
habetur in *tex. in cap. mannam 2. qu. 4. & cap. dignum*
3. qu. 9. Conscientia, quem adiuuat, dignum est, vt alia
cattigatione non affligat, imò virum iustum, ac pium
iustitia ità defendit, & propugnat, vt hostes quasi mu-
nitissimam Arcem perhorrescant, & veluti augustissi-
mum quoddam Templum, vltorisque Dei domici-
lium attingere, ac violare non audeant, *Moron. in*
Aul. Davidic. pag. 170.

6 Præterquamquòd veritas mori nunquam potest,
licet causa ipsius occultari valeat, *Carauit. rit. M. C.*
14. num. 3. Non peragitur tempore, non migrat lo-
cis, nec nocte intercipitur, nec vmbra includitur, nec
sensus corporis subiacet, omnibus proxima, omni-
bus sempiterna, *S. August. lib. 2. de liber. arbitr.* Et ità
fortis est veritas, vt omnes hominum caliditates su-
peret, *Eschin. contr. Timarch.*

7 Sicque non timendæ impiorum calumnia, cum ad-
sit tutamen rectæ cōscientia. Est enim profectò Deus,
qui, quæ nos gerimus, auditque, & videt; beneme-
renti profuerit, malemerenti par erit, *Plaut. in captiu.*
Nil Deo clausum est, interest animis nostris, & cogi-

Qq 2

tatio-



tationibus medijs interuenit, *Senec. epist. 84.* cum dementia sit malitiæ benè coniuncta, quando quis vbi oculos suos clausit, à nemine se videri putat, *Petr. Matthæi histor. Franc. fol. 305.* non est enim occultum, quod non reueletur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniet, *in Prouerb. cap. 28. Matth. c. 10. & Luc. c. 8.* Indè facinorum machina, repentino, atque inspecto scèpè sine destruitur, *Boet. lib. 4. prof. 4.* quamuis excelsa, cum re vera Araneæ tela sint, quæ contrà innocentes parantur, *Anton. Lup. in farstin. pag. 228.*

- 8 Et videmus experimento in dies, quòd vt plurimum calumniæ, ac machinationes in iustos, eosdem machinatores opprimunt, & quasi Perilli vlulant priùs ipsi in Æneo boue, inter namque scelerum spinosis amfractibus plenus est, in quos, dùm putant mali capere bonos, ipsi incurrunt, & vbi se credunt tuti, præcipitant, idem *Lup. loc. cit. pag. 37.* cum voluntas Dei sit, vt capiantur iniqui in laqueis suis. Vnde Poësis ornamentum *Baptista in melli. p. 2. fol. 41.*

*Vola strale tal' hora, & l'aria fende,
Perche di petto ostile impiaghi vn core,
Mà torna in dietro, e chi l'auuenta, offende.*

- 9 Cùm ergò Iudices, ac Rectores iniustè calumniari se videant, timere non debent, nec eos terreant impiorum machinæ: etenim, sicut accidens adest, & abest præter subiecti corruptionem; ità prosperitas, & tribulatio viro iusto, vt inquit *Vgo Cardinal.* In hos ve-

rè

rè profiguum, quod docet *Thomas de Kempis lib. 1. cap. 24.* annuens: *Beatus*, qui pro contrariantibus sibi, libentè orat, & ex corde culpas indulget, & faciliùs miseretur, quàm irascitur. Siquidem vbi mali non est, malum non habet imperium, *Hormisd. Pontan. in epist. ad Leut. Cæsar.* Quos Superna protegunt, foelices aduersarios habere non possunt, *Cassiodor. in epist.* Et si crimen falsum reum facit hominem, apud Iudicem hominem, vbi Iudex Deus est, nullus falso crimine læditur, *D. August. in psalm. 118.* & refert *Mucci dilucid. 54. num. 5.* cuius anima sit benedicta per infinita sæcula, dùm hac die, qua transcribo, fati munus iam adimpleuisse fertur. Et ipsi calumniatores poenam Diuinæ Iustitiæ nõ fugient: nam vt habetur in *Ezechiel. cap. 18.* quia calumniatus est, & vim fecit fratri suo, ecce mortuus est in iniquitate sua. Proindè haud ad vindictam trahendus animus, Virtus erit non lædere, quamuis lædentem lædere possis, *D. Gregor sup. Euangel. homil. 35.* Cuncta Rectorum sunt referenda ad exemplum, non ad vltionem, *Lips. 4. polit. cap. 10.* Deus erit castigatior consiliorum impiorum, eorum machinationes euertens, machinatores peribit, & testante lingua materna Vate:

*Farran vendetta
Gli strali istessi, e l'innocenza illesa
Rilancerà negl'offensor l'offesa.*

MO-

UNIVERSIDAD
D' SALAMANCA

MONITVM LVI.

Dum benè viuitur, censura vulgi, ac aliorum obiurgationi, spretu, ac contemptu prouidendum.

S V M M A R I V M.

- 1 *Calumnia euitari difficilè potest.*
- 2 *De calumnia non curandum, & quare.*
- 3 *Fomes calumnie otium est.*
- 4 *Mendacium, & inuidia, ac curiositas calumnie causa.*
- 5 *Calumniam euitare meliùs, quàm deprecari.*
- 6 *Calumnie malitiosorum bonos non tangunt.*
- 7 *Dictum Agatoclis, Antigonis, ac Cæsaris.*
- 8 *Non curanda vulgi censura, & quare.*
- 9 *Plebis, ac Vulgi qualitates referuntur.*
- 10 *Dictum Tiberij expenditur.*
- 11 *Diçteria malorum floccipendenda.*
- 12 *Iniquum agrè ferre, si vera sint diçteria.*
- 13 *Conuiciatores sine ira frangendi.*
- 14 *Linguarum intemperantia dissimulanda.*
- 15 *Conuicia, quæ fiunt stellis, referuntur.*

CAP. VLTIMVM.

- 1 **N**ulla est tam modesta foelicitas, quæ malignitatis dentes euitare possit, vt inquit *Val. r. Maxim.*

Maxim. Etenim morbo calumniæ id proprium, vt in alienos si nil dicere habeant, in suos dicant calumniantes, atque adeo in se se, *Lips. in orat. de calumn. & proindè euenire solet, vt ei maledicentia plerumque sit adiuncta, vt inquit idem Lips. epist. 5. nec nihil quicquam tam probe, aut auide dici, vel fieri potest, quod non possit vacillare malignitas, Lips. de vna religion.*

- 2 At bonus, & animosus miles, vt leuia, & circa galeas crepitantia thela contemnit; ita vir robustus, & sapiens diçteria, *Lips. loc. cit. de calumn.* nam calumnia licèt in occasione valeat apud audientes, tempore tamen infirmatur, *Demosten. apud Lip. cent. 2. ad Belgic. epist. 6.*
- 3 Prima scintilla, & fomes calumniæ otium est, nec vnquam aut vacabit, aut lubebit in alienas res inquirere, quem suæ destinabunt: omnis namq; occasio otij, occasio est peccandi, *David. psal. 118.* Idemq; est otiosus, ac malus ciuis, vt notat *Menander.* Archetetti vero calumniæ præcipui, & quasi parentes sunt mendacium, & inuidia, & curiositas nutrix, *Lips. loc. cit. de calum.* vndè ait: *Tolle curiositatem à calumnia, quid poterit? imbecilla, ieiuna, vacua sedebit, & quæ nocere velit potius, quàm possit.* Vndè non expedit, omnia videre, omnia sentire, & qui iracundus esse nolit, non sit curiosus, aliàs qui inquit, quid in se dictum sit, & qui malignos sermones, etiam si retro sint habiti, eruit, siue euertit, se ipse inquietat, *Senec. lib. 3. de ira, c. 11.*
- 5 Omni tamen casu æquo animo audienda sunt imperi-

peri-

peritorum conuicia, & ad honesta vadenti cōtemnendus est ipse contemptus, cū melius sit euitare calumniam, quā deprecari, *Lips. miscell. epist. 1.*

6 Siquidem vt thela quædam in Cœlum emissâ eo ire videntur, & non eunt; sic malitiosorum calumniæ bonos non tangunt, omni populo inest malignum quiddam, & quærum in Imperantes, *Plutarch. in Polit. sed argumentum est recti displicere malis, Senec. apud Nemoross. 93. Vndè Plaut. in Gurgul.*

Indignis si maledicitur, maledictum id esse dico; Verum si dignis dicitur benedictum si meo quidem animo.

7 Sanè proindè dicebat Agathocles, calumniatores nostri ira nostra indigni sunt, & ridebat cum Antigone eos, à quibus iniuria laceffabatur, prout contemnebat & ipse Cæsar, cuius fuit sapientissimum hoc dictum: *Magnam fortunam decere magnum animum, adeo quòd iuxtà Taciti dogma: Comitia si irascere, agnita videntur, spreta exolefcunt.*

8 Siquidem maledictum in actam honestè vitam contestum, aut temporis progressu perit, aut suo interitu auctori paret. Labia insipientis præcipitabuntur, *Eccl. c. 10. Sufurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odiet, Ibid. cap. 22. nam detractor Deo odibilis, S. Paul. 1. ad Roman. & S. Bernard. serm. 24. super cantic. Quare non qui patitur contumeliam, sed qui facit, est miser, D. Hieron. ad Mar. Celed. nec aliud calumniatores faciunt, nisi quòd in puluerem sufflant, & in oculos eorum excitant, vt quanto plus detractionis*

per-

perflant, minus de veritate videant, *D. Thom. 2. 2. qu. 73. artic. 3. Huiusmodi homuncios vocat Salust. in orat. Mar. Impigræ linguæ, ignavi animi, maliquè sunt homines, qui bonis dicunt malè, vt ait Plaut. in Baudid. quos sapientissimè imitatus Ioseph Baptista canet in mell.*

E' lubrico al dir mal chi non fa bene,

Huomo che lingua hà lunga, hà mano breue.

9 Præter quàm quod, Plebi non iudicium, non veritas, *Tacit. histor. lib. 1. Non dilectus, aut sapientia ducitur ad iudicandum; sed impetu, ac temeritate, Cicer. pro Planc. Ex opinione multa, ex veritate pauca iudicat, Idem pro Rosc. Imò, vt inquit ibid. Tacit. 2. histor. Vulgus vacuum curis, & sine falsi, aut veri discrimine, solitas adulationes edoctum ad plures inclinat, more magis, quàm iudicio, vt inquit Salust. ad Cæsar., Imò Pecorum ritu antecedentium gregem, Senec. de beat. vit. Quamobrem malus virtutis iudex est Populus, Lips. lib. 1. var. lect. in præfat.*

10 Quod cum nouisset Tiberius, consulebat ità Senatū, quando punire tractabat diſteria Populi contra ipsum: *Si hanc fenestram aperueritis, nil aliud agi sinetis, & omnium inimicitia hoc pretextu ad vos deferentur, ex Sueton. in eius vit. & Tacit. Animis imperare, & linguis nemo potest, Curt. lib. 8. Naturæ bestiarum, volucrum, & serpentium dominantur, & domita sunt ab humana natura; linguam autem nullus homo domare potest, D. Iacob. Apostol. Detractor enim omnibus*

R r

bo-

bonis inuidet, omnibus malefactis aridet, *Petrus Bercor.* Inde mendacia si non habent, quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur, ut docet *S. Gregor.*

- 11 Sanè ergò monitum esse ridendum dicitur hominū, præsertim per Iudices, Christianumq; Rectorem, ex quo Regium propriè est, audire male, cum facias bene. Conscientia bona eneus est murus; vndè ait *Iuuenal. satyr. 9.* viuendum est rectè, tum propter plurima, tum his præcipuè causis, ut linguas mancipiorum contemnas. Ut enim in mari alij aliàs venti, Gubernator tamèn rectum cursum tenet, nec deflectit mentem, aut oculos à proposito portu; ita nobis esse debet recta petere, prosequi, nec eijci via, aduersante aliqua iudiciorū, aut aura sermonum, *Lips. ad Ital. & Hisp. ep. 28.* vndè monet *Isid. cent. 1. epist. 28.* Interno Iudice, si probus audias, nil addent, aut tibi dement malorum sermones. Vndè Vates:

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,

Cum rectè feceris, nè cures verba malorum.

- 12 Et quidèm mali, conscientia suggerente, sciunt malos de se sermones esse, Boni, eadem teste, bonos, & probos. Imò in omni loco genus hoc hominum inuenitur, qui meliores obrectare malint, quàm imitari, *Lucius Apolei. in lib. floridor.* Indè iniquum est, ea velle egrè ferre, quæ si vera sint, præstat, non admisisse, si falsa, dissimulare, *Mecen. ad August. apud Iou. lib. 52.*
- 13 Quapropter, ut scopulus affilientes vndas sine motu ullo suo frangit; sic nos conuiciatores sine vlla acerbitate

bitate, vel ira, *Lips. de una relig.* Et ut culitem molestè circumstrepentem, leui manu, & sinè ira dispellimus; idem licitum sit, ac deceat in istis, qui innoxiam nostram quietem turbant, idem *Lips. in dispuñct. not. Mirand. eod. ad Tacit.*

- 14 Et est quod præcipit Imperator *Theodosius in l. vnic. rubr. si Imper. voluer.* Siquidem si id in leuitate proferit, contemnendum; si ex infania, miseratione dignissimum; si ab iniuria; remittendum, ac summa erit prudentia, linguarum intemperantiã dissimulare; omnis enim, qui detrahit, primum quidèm seipsum prodit vacuum charitate, *V. iui. decis. 399. nu. 15.*, ac stultitiæ plenum, dum secundùm Philosophum, proprium stultitiæ est aliena cernere vitia, & sua obliuisci. Nec mirum, si plures sint lingua infames, quàm facto, ex quo nulla pars corporis ad nocendum promptior, & ad frenadū difficilior, *Petrarch. de remed. vtriusq; fort.*
- 15 Ad rem ergò *D. August. sup. Psalm. 93.* ita docet: *Cõuicia sunt Stellis, dum dicitur, illa Mercurij est, illa Saturni.* Quid illæ cum audiunt tanta conuicia, numquid mouentur, nūquit nõ exercent cursus suos? Sic homo. Itaque, dum benè viuitur, censuræ vulgi, ac aliorū obiurgationi prouidendum, spretu, ac contemptu. Nec terreant Rectores, quæ Populi sunt vanæ voces: nam prout habetur in *cap. in cunctis 11. quas. 3.* & docet *D. Paul. ad Hebreos 4.* Conscientia pura hominis est gloria sua testimonium.

LAVS DEO, DEIPARÆ, eiusq; Sponso, ac Patriarchæ

IOSEPHO, specialissimo Patrono, & Protectori, cui, in omni necessitate, ac negotio cum concessum sit opitulari, & omnes ad se piè confugientes defendere, & fouere, precor, nè dedignetur ex sui Pietate, mihi, & cunctis christianas impartire virtutes, & gratias, & sub eius virga, quæ arida floruit, defendat, ac protegat, atq;

*ARGATHONIS VMBRA CLARESCAT
INTERCEDENTE*

Cum alijs Sanctis omnibus, Beato Syluestro, cuius Festus colitur hac die, qua calamum in præsentis Tractatu sulto de necessarijs virtutibus.

AVCTORIS PROTESTATIO.

Scribendi de Virtutibus Opusculum, obiectum re vera fuit, ut pateretur aditus ad virtutes, bonosq; mores.

Quare

Si quid traditum sit, quod videatur extra, vel aliàs excerptum ab Authoribus damnatæ memoriæ, Superiorum permisso tamen lectis, PROTESTOR expressè me posuisse, non secus damnata Dogma, quàm vt refellerem, ac improbarem, prout iterum, atque iterum refello, & improbo.

Superius

Ideò sit Ecclesiæ, & Superiorum Iudicium, cui si quid in eo aduersetur, scriptum in scriptum volo, & me debita cum humilitate submitteus, vt deleatur offero spongiam.



IN-

I N D E X

Rerum notabilium, & Materiarum.

A.

- A** Dulator, & quot mala eueniant ex adulatione, & ab adulatoribus, cap. 17. & c. 35.
Affectatio non cadit in magnos animos, c. 35. n. 5.
Affectus quid sit? cap. 25. num. 5.
Affectus si vincant non est virtus in victo, ibid. num. 6.
Affectus vincere virtus est, ibid. num. 7.
Alcibiades, Duillus, & Hercules ob labores gloriosi, c. 4. n. 3.
Amicitia recta in Mundo rara, cap. 11. num. 8.
Amicitia vitij extinguitur, cap. 19. num. 11.
Amicitia improborum non firma, ibid. num. 12.
Amicitia fide seruator, cap. 51. num. 9.
Amici quomodo diligendi, cap. 11. num. 14.
Amicorum causa quid fieri possit, cap. 30.
Amici nomine qui? ibid. num. 6.
Amicus vsq; ad Aras, unde, & quare dictum? ibid. num. 9.
Ambitio quid, & qui ambitiosus? cap. 33. num. 4.
Ambitio honoris, & gloriæ stoccipendenda, ibid. num. 6.
Anima robusta facile mala contemnet, cap. 43. num. 4.
Antiqui quomodo depingebant imaginem sobrietatis, c. 39. n. 6.
Appellatione Regis veniunt omnes subordinati, in exord. n. 12.
Arcana sæpè vultu aperiuntur, quod nephas, cap. 16. num. 12.
Ars regendi difficillima, cap. 5. num. 12.
Auaritia fugienda, & quare? cap. 36.
Auctor monita excerpfit, vbi, & quare? in exord. num. 11.
Auctoris finis in scribendo, ibid. num. 10.
Auctor consequitur laudem, si opus malis displiceat, ibid. n. 13.
Auctoritas quare contemnatur, cap. 50. num. 7.
An propter humilitatem frangatur, ibid. num. 2.

Bal-



VNIVERSIDAD
D SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

I N D E X

B.

B Aldus non erubuit mutare sententiam, cap. 20. num. 4.
 Beatus vir, qui audit Dominum, cap. 3. num. 7.
 Beatus, qui timet Dominum, cap. 2. nu. 2.
 Beneuolentia fratrum est tenuis, cap. 11. num. 9.
 Bonorum conuersatio ad Rectum trahit, cap. 19. num. 9.
 Bonus verè est amicus, non malus, ibid. num. 11.
 Bonus Iudex quid facere debet, cap. 25.

C.

C Alumnia difficilè euitatur, cap. 56.
 Calumnia non curanda, & quare? ibid. num. 2.
 Calumnia malitiosorum bonos non tangit, ibid. num. 6.
 Calumnie cause quæ? ibid. num. 4.
 Calumnie fomes otium est, ibid. num. 3.
 Calumniam euitare meliùs, quàm deprecari, ibid. num. 5.
 Caleritas, & ira rectæ menti aduersantur, cap. 13. num. 2.
 Censura Vulgi non curanda, & quare? cap. 56. num. 8.
 Cibus quomodo sumendus, cap. 38. num. 3.
 Clementia præstat saluos Regentes, & quare? cap. 48.
 Congruum contemptus Opum, & quare? cap. 35. num. 9.
 Conscientia animum verberat, cap. 23. num. 1.
 Conscientia recta parit conscientiam, ibid. num. 5.
 Conscientia splendor bonæ fame, cap. 24. num. 1.
 Consanguinei diuersis litibus se deuexant, cap. 11. num. 7.
 Consilia praua quare habeant exitum bonum, cap. 46. n. 1. & 2.
 Consilium non est, neque prudentia contra Deum, c. 3. n. 2.
 Consilia quando capienda, & quando rapienda? cap. 13. nu. 5.
 Consilium vile, ubi robur fortitudinis deest, cap. 45. num. 3.
 Consuetudinis vis, cap. 53. num. 4.
 Conuiciatores sine ira frangendi, cap. 56. n. 13.
 Conuicia fiunt stellis, & quæ? cap. ultim. num. 15.
 Crassus, & Cresus quare effecti pauperes, cap. 54. num. 7.
 Culpa relaxare vindictam, & quando, cap. 50. num. 9.
 Credulitas mater erroris, cap. 12.
 Cupiditati nil tutum, cap. 9. num. 9.
 Cultus Dei qualis esse debeat? cap. 1. n. 9.

David

I N D E X

D.

D Auid petit à Deo iudicium rectum, cap. 3. n. 6.
 Dauid petit opem in gubernando, cap. 8. num. 4.
 Delator nullus fidelis, cap. 12. nu. 6.
 Delator, curandum, nè cognoscat de ipso diffidere, ibid. n. 7.
 Dementia est statuta mutare, cap. 53. num. 2.
 Dei potestas, cap. 2. num. 4.
 Dei Ope fausta cuncta contingunt, cap. 3.
 Dei permissione eueniunt, quæ contingunt, cap. 46. num. 5.
 Deus iustitiæ dator, cap. 2. num. 4.
 Deus ni reueratur, malè regitur Populos, ibid. num. 5.
 Deus coli debet, & quare? ibid. num. 6.
 Deus machinationes contra Iustos euertit, cap. 55. num. 7.
 Deus res cunctas disponit, cap. 3. num. 4.
 Deus laudandus in letitia, & tribulatione, cap. 47. num. 6.
 Diæteria malorum floscipendenda, c. 56. num. 11.
 Diæteria si vera sint. iniquum est ea egrè ferre, ibid. num. 12.
 Difficile à calumniatoribus se defendere, c. 55. num. 2.
 Dieta piætatorica non laudantur, c. 38. num. 6.
 Dignitas collata improbis demonstrat indignos, c. 8. nu. 5.
 Diues qui dicatur. cap. 54. num. 6.
 Diuina potentia ludit in rebus humanis, c. 9. num. 5.

E.

E Brietas, à quo commendata, cap. 39. num. 7.
 Ebrietas detestatur, & quare, ibidem.
 Eleemosynis peccata redimuntur, cap. 42. num. 4.
 Eleemosynæ quomodo eroganda? ibid.
 Errat qui vocat Diuites felices, c. 10. n. 3.
 Ætas omnis prona ad libidinem, cap. 37. n. 1.
 Exempla aliquorum, qui fuerunt fortune ludibria, c. 9. n. 7.
 Exemplo potiùs docendum, quàm verbis, c. 28. num. 2.

F.

F Abula Vulpis, cap. 20. n. 13.
 Felicitas an constituta sub virtutibus, in exord. n. 3.
 Felix nemo malus, cap. 8. n. 6.



Fe-

I N D E X

Felix nemo mortalium, c. 9. n. 3.
Famina Iudices esse non possunt, & quare? c. 16. & c. 18.
Famina non fidendum, nec Gremio, c. 18.
Famina non danda potestas, ibid. n. 8.
Fides cunctis seruanda, & quare? c. 51.
Fides non adhibenda omnibus, qua dicuntur, c. 12. n. 2.
Finis Crasi qualis fuerit? c. 10. num. 5.
Fortitudo quid, & in quibus consistat, c. 43.
Fortitudo Rami eius patientia, & tolerantia, c. 47.
Fortuna nunquam sistit in eodem gradu, c. 9. num. 2.
Fortuna ludit cum mortalibus, ibid. num. 4.
Fortuna quando suspecta, ibid. n. 8.
Fortuna blandiens fida parum, ibid. n. 10.
Fortuna quare det felicitates? c. 10. n. 4.
Fortuna non fidendum, cap. 9. n. 7.

G

Gloria perquirenda extra Patriam, c. 4. n. 5.
Gloria Vana fugienda, & quare? cap. 33.
Gloria non est in iactantia, cap. 35. n. 7.
Grauitas in Rectore laudatur, cap. 48. n. 5.
Grauitas Temperanda, & quomodo, Ibid. nu. 6.
Gulosi diu viuere non possunt, cap. 38. n. 2.

H

Homo sine Religione viuere nequit, cap. 2. nu. 2.
Homo carens notitia sui prudens non est, cap. 34. nu. 2.
Homo confirmare se debet cum voluntate Dei, cap. 46. n. 6.
Homines sola virtute distinguuntur, cap. 6.
Hominis vita lusus est, cap. 10. nu. 7.
Humana omnia incerta, cap. 9. nu. 8.
Humana felicitates somnium, cap. 10. nu. 7.
Honor non inuenitur extra virtutem, cap. 4. & cap. 35.
Hieroglyphicum de Mundi partibus Rectori, cap. 32. nu. 5.
Hypocresis damnatur, ibid. nu. 4.
Hippocrates fuit temperatissimus, cap. 38. nu. 5.

Iat-

I N D E X

I

Iactantia quid sit, & an licita? cap. 35. nu. 6.
Impij est facere quod libet, & quare? cap. 26.
Impij nunquam, vel raro Imperio gaudent, ibid. nu. 9.
Improbitas vite pondus, cap. 8. nu. 7.
Imprudentes odio litteras habent, c. 5. n. 8.
Improborum consortium fadat, cap. 19.
Iustitia in quo consistat, & quare cum statera fingatur? c. 49.
Inferiora Superiorum lege reguntur, cap. 3. nu. 3.
Iniuria est, quod non iure fit, cap. 29. n. 11.
Inscitia mater erroris, c. 5. n. 4.
Insanum, sine Deo humana pertentare, c. 3. n. 9.
Insultus qui credit Politicam tradere prospera, ibid. n. 5.
Intemperantia valde detrimenti est, cap. 38.
Ira temperanda est, quomodo, & quare? cap. 40.
Iudex est, qui recte iudicat, cap. 29.
Iudices, arbitrando non possunt leges euertere, ibid. nu. 10.
Iudices. Vide infra in ver. Rectores.
Iudicia Dei occulta sunt, cap. 46. num. 4.
Iudicibus turpe in omnem ventum se ventilare, cap. 12. nu. 9.
Ius, & equitas vincula Ciuitatum, cap. 29. num. 9.
Iustitia ut suos producat effectus, quid seruandum, ibid. nu. 4.
Iustitia quomodo facienda pauperibus, ibid. num. 9.

L

Laudare se ipsum, vel vituperare non conuenit, cap. 35.
Leges quare condantur, cap. 53. num. 1.
Librorum multitudo distrabit animum, cap. 5. num. 6.
Libri, quales, & quomodo legendi, ibid. num. 17.
Lingua garrula parit odium, cap. 16. num. 4.
Linguarum intemperantia dissimulanda, cap. ult. nu. 4.
Linguae licentia precipitat Rempublicam, cap. 22.
Littera magnum adiumentum in paranda virtute, cap. 5.
Littera Vires augent, non tollunt, ibid. num. 9.
Litigare est foeminarum proprium, cap. 21.
Lucis qualitas ex Vate describitur, cap. 19. num. 6.

SI



Lu-

I N D E X.

Luxuria detestatio, & quot mala pariat, cap. 37.

M.

- M**agnificencia quid, & in quibus consistat, cap. 54.
 Magnanimus putat sibi non fieri contumeliam, c. 41. n. 3.
 Magnificus, qui dicatur, c. 54. n. 4.
 Magnitudo sceleris perfecto scelere intelligitur, c. 23.
 Malitia hominum maximè crevit, c. 11. n. 2.
 Malum prauisum minus dolet, c. 14. n. 4.
 Malum est in malo vinci, c. 44. n. 2.
 Maxima pœna peccantium, peccasse, c. 23. n. 6.
 Mecenas monebat Augustum, c. 12. n. 4.
 Mendacium an unquam permissum, c. 52. n. 8.
 Minerua nata quare dicitur è capite Iouis, c. 5. n. 11.
 Misericordia quid, & an sub virtute, c. 42.
 Mitem esse, in quo consistat, c. 40.
 Modestia virtutum pulchrum, c. 33. n. 2.
 Modus seruandus in cunctis, c. 54. n. 9.
 Monitum Patris Ataci filio, c. 8. n. 3.
 Mores componere opus maximum, c. 50.

N.

- N**ati in Villa possunt benè regere, c. 6. n. 8.
 Nati in locis obscuris, qui optimi fuerint, ibid. n. 9.
 Nates Natorum etiam in parentes, c. 11. n. 10.
 Nero non habuit infrà seruos ingenium, c. 16. n. 10.
 Neronis dogma improbatum circa vindictam, c. 41.
 Nil in Mundo aeternum, c. 9. n. 6.
 Nobilior nemo altero sine virtute, c. 6. n. 2.
 Nobilem, qui se iactat, ex ignobili se eueniet, ibid. n. 6.
 Nobilitas vera in Virtute, ibid. n. 3.
 Non à diuitijs, sed diuinitijs datur, ibid. n. 5.
 Noscere se ipsum difficile, c. 34. n. 3.
 Nosce se ipsum, quare praeceptum, ibid. n. 5.
 Noscit, qui te ipsum non errat, ibid. n. 6.
 Nouitates euitanda, & quare, c. 53. n. 7.

Obic-

I N D E X.

O.

- O**biectum Regentium quale, c. 20. n. 7.
 Officium quale primum iustitia, c. 2. n. 1.
 P.

- P**allas quare orta dicatur armata, c. 47. n. 10.
 Patientia vera qualis sit, c. 44. n. 6.
 Pœna quare adhibeantur, c. 49. n. 6.
 Perfidia pœna, quæ, c. 50. n. 6.
 Perseuerantia laudatur non pertinacia, c. 45. n. 4.
 Pertinaces unde dicantur, c. 20. n. 7.
 Pietas pars virtutis, c. 1.
 Pietas necessaria cunctis, maximè Rectoribus, ibid. n. 3.
 Pietas qualis, & in quibus consistat, ibid. n. 8.
 Plebis, & Vulgi qualitates, c. 56. n. 9.
 Pherionis institutum, c. 16. n. 12.
 Populus, & multa de Populo, & Vulgo, c. 5. n. 13.
 Populari aura non fidendum, c. 9. n. 11.
 Principes sunt, qui regere sciunt, c. 5. n. 10.
 Præmium datur perseuerantibus, c. 45.
 Propere non deliberandum, c. 13.
 Prosperitati non fidendum, c. 10. n. 1.
 Prouidentia est vis subsidiaria, cap. 14.
 Prudens timet malum, quod euitare potest, cap. 11. num. 11.
 Prudens euitat contentiones, cap. 21. num. 5.
 Prudens moderatur, qui sermones suos, cap. 22. n. 2. & 3.
 Prudentia prouidetur, & prouidetur, cap. 14. num. 3.
 Prudentia non paranda verbis, sed moribus, cap. 21. num. 4.
 Prudentia quid sit, & prudentia effectus, cap. 7.
 Prudentia expectanda à Domino, cap. 8. num. 1.
 Prudentia producit cum vitæ probitate ad bonum finem, ibidem
 num. 2.
 Pudor hominis ornamentum, cap. 27.
 Pudor facit cessare ab illicito, ibid.
 Pudor ubi deficit, virtus esse non potest, ibid.

Sf 2

Qua-

I N D E X.

Q

- Q**uare quis quandoque tribuletur, c. 47. n. 8.
 Qui docti fuerint, fulgebunt, c. 8. n. 8.
 Qui fidunt, falluntur, cap. 11.
 Qui se iactant, parum habent prudentia, c. 35. n. 2.
 Quid agendum, ut rectè moriatur, c. 43. n. 7.
 Quod tempore finit, non estimandum, c. 10. n. 2.
 Quanto tempore dormiendum, c. 15. nu. 7.
 Quomodo procedendum cum volentibus fallere, c. 52. n. 12.

R

- R**ectores unde dicti? cap. 26. n. 5. & 6.
 Rectores, & Iudices virtutibus esse debent imbuti, in
 exord. nu. 1.
 . . . Debent timere Deum, & quare, c. 2. n. 5.
 . . . Absque virtute non possunt habere bonam famam, c. 4. n. 4.
 . . . Discunt in eruditione literarum, & quare, c. 5. n. 7.
 . . . Tenentur noscere Vulgi naturam, ibid. n. 14.
 . . . Artem Regendi excolere debent à libris, ibid. nu. 15.
 . . . Omnia prouidere debent, cap. 7. n. 6.
 . . . Debent esse magni animi, ibid. nu. 8.
 . . . Viuunt inter malos, cap. 11. n. 12.
 . . . Redduntur tuti, cauendo, & non credendo, ibid. c. 12.
 . . . Prudentè agere debent in cunctis, c. 14. n. 5.
 . . . Vigilare debent in custodienda Republica, cap. 15.
 . . . Contemni non debent, c. 50.
 . . . Cauere debent ab adulatoribus, & seruis, c. 17. n. 7.
 . . . Monitores audire quandoque debent, c. 20.
 . . . Disputare publicè, & improuisè non debent, c. 21.
 . . . Se abstinere in letitia à lingue licentia, c. 22. n. 5.
 . . . Famam bonam, ut habeant, quia agere debent, c. 24. n. 6.
 . . . Vacui debent esse affectibus, c. 25.
 . . . Speculum sint subditis, cap. 28.
 . . . Munera non recipiant, c. 29. n. 6.
 . . . Non debent opprimere pauperes, ibid. n. 8.

. . . Leges

I N D E X.

- . . . Leges latas seruare debent, cap. 31.
 . . . Vitia, quæ pateant, coercere, cap. 32.
 . . . Temperare debent iustitiam cum misericordia, c. 49. nu. 7.
 . . . Non pœnis, sed pœnitentia esse contenti, ibid. n. 10.
 . . . Dùm contemuntur, subditi faciunt, quod volunt, c. 50. n. 5.
 . . . Magnis peccatis saueritatem commodare, ibid. n. 10.
 . . . Mentire non debent, c. 52. n. 5.
 . . . Subiacent malorum insidijs, c. 55.
 Ratio status non expellit conscientiam, c. 24. n. 4.
 Reuerentia cunctis debetur, c. 50. n. 6.
 Rosa aspera nascitur planta, c. 6. n. 10.
 Reprobatur Macchiauellus, c. 1. n. 7. & alibi.
 Reprobatur Stobæus, c. 5. n. 3. & alibi.
 Reprobatur Cornelius Agrippa, ibid. & alibi, & c.

S

- S**alamon Consiliarios adhibuit, c. 20. n. 11.
 Sapere est futura prospicere, c. 14. n. 2.
 Sapienti omnia facilia, cap. 5. n. 5.
 Sapiens fortuna non subiectus, ibid. nu. 6.
 Sapiens dicitur, qui fructuosa scit, non qui multa, ibid. n. 16.
 Sapiens improuisè non consulit, c. 13. n. 3.
 Sapientissimi quoque falluntur, c. 20. n. 2.
 Sapientes, qui estimandi, cap. 47. n. 3.
 Scientia opus, ut cum Diuino Præsidio, c. 3. n. 8.
 Secreta sunt custodienda, & quare? c. 16.
 Sermo Iudicum qualis, c. 22. n. 6.
 Sententia hominum fallax, c. 11. nu. 6.
 Serui habeant verba, & domita, c. 15. n. 11.
 Serui Dominorum hostes, c. 7. n. 12.
 Simulatio inimica virtutis, c. 52. nu. 4.
 Simulatio quando sit licita, & quomodo? ibid. n. 8.
 Sobrietas quid sit, & qualis esse debeat? c. 39.
 Sodome iniquitas, quæ fuerit, ibid. n. 3.
 Somnus nimis nocet, c. 15. nu. 6.

Sta-

I N D E X

Stabilitas reprobatur in malo, c. 45. n. 5.
Suauitas parat Reipublica commoda, c. 48.
Superbus stultus est, c. 34.
Superiores quare dentur, cap. 30. n. 5.
Syrena dormientes occidunt, c. 11. nu. 15.

T

T *Arditas consilij, quando laudanda, cap. 13. nu. 4.*
Tiberius leges antiquas secutus, c. 53. n. 5.
Timor inter passiones ponitur, c. 2. n. 3.
Timor Dei laudabilis, ibid. nu. 4.
Tolerantia summa virtutum perfectio, c. 44. nu. 5.
Tristitia cum latis miscetur, c. 47. nu. 9.

V

V *Erba bis ad limam, semel ad linguam, c. 22. nu. 4.*
Veridici Deo assimilantur, c. 52. n. 2.
Verba celerius audienda, quam proferenda, c. 22. nu. 7.
Veritas non moritur, c. 55. nu. 6.
Veritatem colere sanctum est, cap. 30.
Versutia disperdit bona prudentia, c. 51. nu. 5.
Vigilantia quid, & quotuplex, cap. 15.
Villanus non dicitur à Villa, sed à Vili, cap. 6. nu. 10.
Vina vincerunt Loth, cap. 39. n. 5.
Vendicta improbatur, & quare, cap. 41.
Vir optimus haud ignobilis, cap. 6. nu. 4.
Virtus quid sit, & quotuplex? in exord. nu. 2. ad 7.
Virtus unde dicta? ibid. nu. 5.
Virtus non casu, sed ex doctrina acquiritur, c. 5. nu. 1.
Virtus omnis ex conscientia, cap. 24. n. 2.
Virtus labore, & sudore acquiritur, cap. 4. nu. 2.
Virtus perquirenda extra patria lecta, ibid. nu. 5.
Virtutes necessariae, quare, & quae Rectoribus? in exord. n. 8.
Virtutis effectus, ibid. nu. 9.
Virtutibus destitutus male gerit Rempublicam, c. 33.

Vita

I N D E X

Vita hominis vapor, cap. 9. nu. 12.
Vitium est credere nulli, & omnibus, cap. 12. nu. 5.
Vsus rerum virtute corrigendus, c. 53. n. 5.
Utilitas debet esse euidens, ut nouitates probentur, ibid. n. 6. c. 54.
Vxor an ducenda à Rectoribus, & Iudicibus? c. 18. n. 3.
Vxor non debet dominare marito, ibid. n. 5.

F I N I S.



IN D E I
The following report of the
Commission of the
University of Salamanca
to the Cortes of
Cádiz, in the year
1808, is published
in the year 1809.

FINIS





VNIVERSIDAD
DSALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA



VNIVERSIDAD
D SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

